

IHS



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
32
K
22

Rolandi Mirtei Commeb.

ROLANDI
MIRTEI ONATINI
COMMENTARIVS RERVM
in Belgio gestarum à Petro Henriquez de Azeuedo Comite de Fuentes, &c.

AD IOANNEM FERNANdium Velasquium, magnum Castellæ Comestabilem, &c.





CVM PRIVILEGIO.

MATRITI.

Ex Typographia Regia.

M DC. X.

TASSA.

YO Diego Gonçalez de Villarroel, ſecretario de Camara de ſu Mageſtad, de los que reſiden en ſu Conſejo, doy fee que auiendo preſentado Iuan Haſrey, mercader de libros, ante los ſeñores del Conſejo vn libro intitulado, los Comentarios de rebus geſtis à Petro Enriquez de Azeuedo Comite de Fuentes, que cõ licencia de ſu Mageſtad ſe imprimio, ſe taſſo el precio de cada libro a quatro marauedis el pliego, y mandaron que eſta taſſa ſe ponga al principio de cada libro, y no ſe vẽda ſin ella, para que ſe ſepa el precio a que ſe ha de vender, y para que dello conſte de mandamiento de los dichos ſeñores del Conſejo, y pedimiento del dicho Iuan Haſrey di eſta fee, en Madrid, a cinco de Nouiembre, de mil y ſeyſcientos y diez años.

Diego Gonçalez de Villarroel.

Correctoris teſtimonium.

L*Ibrum hunc, qui* Commentarius rerum geſtarum in Belgio, *inſcribitur, vidi, & cum ſuo archetypo contuli, omnia quæ in eo ſunt adeò verè & fideliter impreſſa, vt nihil in eo notatu dignum inuenerim, quod non correſpondeat ſuo exemplari. Datum Matriti die vigeſima ſexta menſis Octobris anni* 1610.



Licenciatus Franciſcus Murcia de la Llana.

¶ 2

Diego Daça.



IVſſu ſupremi regij Senatus Caſtellæ, hunc Rolandi Mirtei Onatini rerum in Belgio geſtarum à Petro Henriquez de Azeuedo Comite de Fuentes, commentarium legi, & dignum iudicaui qui prælo mandetur, in publicam vtilitatem & ducis fortiſsimi atque ſtrenuiſsimorum militum gloriam, ſimulq́ue adeo ne qua ſcriptori, athletæ in literis clariſsimo, deſit ad pancratiũ corona. Matriti Kalend. Octobris 1610.

Petrus de Valentia.



EL REY.



OR quanto por parte de vos Iuan Hasrey, nos fue fecha relacion que haziades presentacion de vn libro intitulado, *De rebus gestis à Petro Hēriquez de Azeuedo, Comite de Fuentes*, que auia compuesto Rolandus Mirteus Onatinus, el qual era libro de buena y santa dotrina, y en el no auia cosa contra nuestra Fè Catolica, antes era de mucha erudiciõ, y nos suplicastes os diessemos licēcia para le poder imprimir, ò como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias, que manda la Pragmatica por nos vltimamente fecha sobre la impresion de los libros, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la cha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por la qual damos licencia, y facultad, para que por tiempo de diez años cumplidos primeros siguientes, que corran y se quenten desde el dia de nuestra cedula en adelante, vos o la persona que para ello vuestro poder huuiere, y no otra alguna, podays imprimir el dicho libro que de suso se haze mencion, y por la presente damos licēcia y facultad a qualquier impressor destos nuestros Reynos, que vos nombraredes, para que durante el dicho tiempo, le pueda imprimir, por el original que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricada cada plana, y firmado

al

al fin del, de Diego Gonzalez de Villarroel nuestro secretario de Camara, de los que en nuestro Consejo residẽ, con que antes que se venda le traygays ante nos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impression esta cõforme a el, y traygays fee en publica forma, como por el Corretor por nos nombrado, se vio y corrigio la dicha impression con el dicho original. Y mandamos al impressor que assi imprimiere el dicha libro, no imprima el principio y primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro al autor o persona a cuya costa se imprimiere, para efeto de la dicho correciõ, y tassa, hasta que antes y primero el dicho libro estè corregido y tassado por los de nuestro Cõsejo, y estãdolo y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, en el qual seguidamente se põga esta nuestra licencia, y priuilegio, y la aprouacion, tassa, y erratas, y no lo podays vender ni vendays vos ni otra persona alguna, hasta q̃ estè el dicho libro en la forma susodicha, so pena de caer e incurrir en las dichas penas contenidas en la dicha Pragmatica, y leyes de nuestros Reynos, que sobre ello disponen. Y mandamos que durante el dicho tiempo persona alguna sin vestra licencia no le pueda imprimir ni vender, so pena que el que lo imprimiere o vendiere, aya perdido y pierda qualesquier libros, moldes, y aparejos que tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez q̃ lo cõtra no hiziere, la qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra Camara, y la

¶ 4. otra

otra tercia parte para el Iuez que lo sentenciare, y la otra para el que lo denũciare. Y mandamos a los del nuestro Consejo Presidentes y Oydores de las nuestras Audiẽcias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa y Corte, y Chancillerias, y a otras qualesquier Iusticias, de todas las Ciudades, Villas y Lugares de los nuestros Reynos y señorios, a cada vno en su juridicion, assi a los que aora son, como a los que seran de aqui adelante, que os guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced q̃ ansi os hazemos, y contra ello no vayã, ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra Camara. Dada en S. Lorenço el Real, a diez y seys del mes de Otubre de mil y seyscientos y diez años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Iorge de Touar.

IOANNI
FERNANDIO VElasquio magno Castellæ Comestabili,&c.


ES A Comite Fontano in Belgio præclarè gestas dicare tibi visum est,(clarissime Princeps) earum omnium,ni vero obluctari velimus, auctori & seminario potissimo. Quippe qui prudentia & rerum domi bellique gerendarum cognitione adeo Gallorum Regis mentem solus perculeris, vt posthabitis Fontani veteranorum & sub duce Parmensi pridem exercitatissimorum militum copijs omnia ferro flammaque vastantibus, tibi potius vni vix dum sex Tyronum ferè millibus nullo prope stipendio subnixo cum valido viginti peditum mil-

lium exercitu ac ſex equitum millibus imminere voluerit, rei bene gerendæ Fontano occaſionem vltro præbendam potius exiſtimans, quã omiſſa Burgundia, quam inſederas Gallici demum Imperij diſcrimen ſubire. Verum namque illud eſt,

Qua flumen placidũ forſan latet altius vnda.

idcirco prudenter & ille,

Volſentem petit in ſolo volſente moratur.

Habe igitur (Princeps digniſsime) & manu quaſi aſſere, quæ tuo iure ſunt parta trophæa; & nos, qui ad tuarũ laudum excudenda præconia libenter accingemur cum primũ licebit, beneuolentia qua bonos omnes cõſueuiſti, proſequere, ita enim & nobis alacritatẽ ad maiora quotidiè in reipublicæ vſum prȩſtanda, & rebus ipſis operæ maximum adieceris pretium. Vale.

Addictiſsimus excellẽtiæ tuæ cliens.

Ioannes Haſrey.

ROLANDI MIRTEI ONATINI COMMENTARIVS rerum in Belgio geſtarum à Petro Henriques de Azeuedo Comite de Fuentes, &c.

HIſpanienſi claſſe procellis potius, quā hoſtium virtute diſiecta; Anglis, Hollandiſque vires & animi creuerūt, Catholicorum partes concidere cœperunt. Non noſtrum eſt vel ſcrutari vel promere cladis tantæ cauſas: ſilentio tegamus, quæ tecta Deus, in vltimum illud Theatrum generis humani videtur reſeruare. Certè mox militaris diſciplina laxari, & quam conſequi neceſſe, prius inuicti militis virtus paulatim labefactari viſa. Nec famæ, nec probitatis, nec victoriæ diſſoluto militi cura eſſe: ſocios prædari, hoſtibus ipſi præda fieri: ſeditiones ex ſeditionibus ſerere, dilabi & transfugere frequentes. Tam iſta quotidiana, vt ipſa conſuetudine contemptui haberentur: adeo vt vel lętari, vel contemnere, qui ad clauum ſedebāt nonnullis viderentur. Quam manifeſta damna, tam clandeſtinæ damnorum cauſæ, pars offenſioni, pars inuidiæ, pars mentis errori, pars (quod crediderim) languori diuturno, & inde natis faſtidio ac tædio tribuebant. Quæuis cauſa fuerit: praua hæc gubernatio nō modo debita Regi obſequia impediebat, ſed etiam Reip. communem ſalutem, & fidei atque



Ecclesiæ, quibus hactenus Belgium steterat, fundamenta subruebat In summum itaque discrimen, si quando alias, tum inciderat. Nam & aliæ causę malorum accedebant: illa remotior, Catholicorum in vita moribusque nulla licentiæ resipiscentia, & alia propinquior, magistratuum peculatus, rapinæ, & iniustitia, regnorum exitiale malum. Pecunia neruus belli deerat, in vsus necessarios: quæ in priuatorum commoda malè absumebatur. Nam & Rex ex Hispanijs mittebat, & subsidia quæ Prouinciales crebra & magna præstabant, & quæ ab inuitis violenter extorquebantur, simul stipendijs & ceteris belli impensis sufficiebant illa quidem, sed alio deriuabantur. Pauculi ditabãtur, qui velut lien ceteris membris, sic ęrario & corpori Reipublicę ipsi inopiam ac squalorẽ adferebant. Hac ratione factum, vt Regius exercitus, ex copioso, strennuo & ducibus parente, rarus imbellis, desertor ordinum, aspernator imperij, latronum manipulis, quàm militum cohortibus similior efficeretur. Nihil iam crebrius, quàm latrocinia pro bello, & seditiones, & seditiosę direptiones oppidorum pro defensione, audiri: ceteri qui nondum palam seditiosi, nec supplicijs ad disciplinam reuocari, ne magis exacerbarentur: nec per eos res magnę tentari poterant, quod Hispani potissimum, penes quos robur legionum, essent animo vehementer ab eo qui pręerat alieni. Quare nihil mirandum si prima & secunda in Gallias expeditione: quibus Luterię Parisiorum & Rothomago, inuitis hostibus subsidia introducta:

Paris. *Roan.*

troducta: expectationi tamen & voluntati Regis Catholici par euentus non responderit. Detrectata non semel à Regijs pugna, quam Francus offerebat: incertum consilio, an timore. Cupiebat Catholicus Rex fœderatis Franco Gallis quamplurimum prodesse: sed obstitit tum militis nostri infrequentia, insolentia, rapacitas, tum ipsorum fœderatorum leuitas & inconstantia: quorum plerique aurum, quàm imperium Hispaniense malebant: ceteri paulatim animum mutabant, & noua moliebantur. Credebat Philippus Rex Parmensi & arma, & annonam, & magnas militum copias adesse, quibus labentem Franciam facile fulciret: instabat ideo & moras omnes eum abrumpere, & tertio in Franciam cum exercitu properare iubebat: hoc enim vnum in votis esse sibi, vt rebus firmatis Rex aliquis Orthodoxus à fœderatis eligeretur: quantum temporis expeditioni interponeret, tantum desiderio suo more obijci. Vrgenti Regi Dux reniti, & producere; siue quod sibi probè conscius, plurima deesse, quæ ad belli difficilis & periculosi felicem in hostico successum necessaria: siue quod videret Regem vicinorum nimis studiosum sua negligere, & nō imprudenter iudicaret Belgiū suæ commissum curæ apertis periculis discessu militum & absentia sua, exponi nō oportere: siue alijs rationibus secretioribus, nam & id fama ferebatur. Erat Dux adeo tunc afflicta valetudine, vt nec pedes incedere, nec equo vehi præ debilitate virium posset: cum tamen cerneret Regem iteratis

 ius-

iussionibus instare, & intelligeret Comitem de Fuentes virum acrem, prudẽtem, & cui nihil prius erat quam Regiæ Maiestati obedire, nihil sibi ad celeritatem reliqui facere, & iam iam adfore: cui tertiæ expeditionis curam Rex commiserat; statuit eum Dux præuertere, venientemque non in Brabantia, sed in Francia, vel in procinctu operiri. Delectus igitur facere; arma, cõmeatum, cetera properare; nihil diligentiæ, nihil curæ omittere, præmissum militem ipse animo, quã viribus maiore subsequi. Vix Atrebatum peruenerat Franciæ vicinam urbem, cum morbo mortique cessit meliore fama & gloria integriore migraturus è vita, si principio gubernationis, postrema quoque tempora respondissent. Bello quam pace melior. Sed etiam post arcem Slusensem expugnatam rerum ante gestarum felicitas cæpit obnubilari: & quam ei quæ præcesserant secunda, tam quæ subsecuta fuerũt aduersa. Nec in promptu ratio est, fors principio quorumdam recta suadentium, & in his Gasparis Roblesij consilijs libenter vtebatur: hoc defuncto, & victorijs elatus, sibi plus quàm alijs auscultauit. Etenim mortalium animis elatio insita, multorum bona ingenia perdidit. Deteriora quæ quidam suspicaces & maligni in vulgus spargebãt, de prætensionibus Lusitanicis & connubijs Anglicanis, falsa fictaque crediderim.

Arras. *La Esclusa.* *Gaspar de Robles.*

1592. *Nouẽb.* 20. ANnus voluebatur supra millesimum quingentesimus & nonagesimus secundus, mensis Nouember penè decurrerat, cum Comes de

Fuentes

Fuētes Namurcum appulit, inde Bruxellam pror- *Namur.*
ſus opportunè peruenit, cogitanti Atrebatas vt Par- *Bruſellas.*
menſem conueniret, eique Regis Catholici man- *Arras.*
data, & aduentus ſui cauſas exponeret, nuncius ad- *Duque*
fuit referens Ducis obitum, ſic ſubſtitit. Factum *de Parma.*
id diuina prouidentia: ne, ſi Comes coram minus
placitura Duci renuntiaſſet, quod vitari non pote-
rat; magnæ diſſenſionū procellæ excitarentur, quas
præſens rerum omnium perturbatio minitabatur.
Bonis & ſtudioſis catholicæ fidei & ſalutis publicæ,
vehementer qui vigebat adminiſtrādæ reip. & mi-
litię modus diſplicebat; non vltra proſerpere cala-
mitates optabāt, diutius ferri non poſſe, ac remedij
aliquid quærendum cauſabantur: aptam medicinā
nullus in mediū adferebat. Parmēſis defuncti vicē
obibat Petrus Erneſtus Māsfeldiæ Comes, vir ſtrē- *Cōde de*
nuus ſed decrepitus: hunc inter & ſupremum ſtatus *Manſ-*
conſilium; quod ſemper adeſt Gubernatori, & cui *felte.*
ſecunda à Rege poteſtas; diſsidij nascentis flammæ
gliſcebant. Contendebant conſiliarij, quando inter-
regnum incideret, nec vllus à rege gubernator no-
minatim deſignatus eſſet, ad ſe gubernacula inter-
regni tempore, dum Rex aliud ſtatueret, iure perti-
nere. Contra Mansfeldius, ſe à Parmenſi, cum diſce-
deret, Bruxellæ cum imperio relictum, ſtatus conſi-
lio id approbante longius contentio progreſſa fuiſ-
ſet, quam vetus diſſenſio partis vtriuſque animis
parum conſentientibus fouebat; niſi commodum
ſe Comes de Fuentes interpoſuiſſet, is authoritate
& prudentia rem compoſuit. Vocatis ſtatus conſi-

larijs litteras , quas vulgo nuncupant credentiæ, ostendit: quibus Rex fidem Comiti haberi iubebat in omnibus quæ de Regia voluntate ipsis significaret. Deinde persuasit omnibus, vt Mansfeldiū pro supremo Belgij gubernatore, & Capitaneo generali pro Rege agnoscerēt, donec aliud Rex statueret. Ceteris in negotijs, & cōsilijs (nam sine eius scitu nihil statui vel geri Rex iusserat) par dexteritas, industria & constātia Comitis de Fuentes elucebat supra multorū, qui de illo sinistra quædam spargebant, ne dicterijs quidem, vt gens dicacula est, abstinentes expectationē. Miscebatur his virtutibus comitas, & affabilitas, sicubi gentium in Belgio vtilissima: sic paucis diebus bonorum animos adeo sibi deuinxit, vt obuijs vlnis eum gubernatorem accepturi viderētur. Nec defuere Primorū aliqui, vltrò ad id operam suā pollicentes, quo tempore id factu facilè iudicabatur: sed ipse nec in aures admisit, certus honores aspernari, qui nō spōte à Rege offerrētur. Ambitioni magnanimitas, vt in plerisque assolet, minimè obnoxia, cum admiratione magnam amoris publici in eum fecit accessionem. Tradita Mansfeldio gubernatione, serio cœpit agere de republica melius ordinanda: scriptæ ad Regem Epistolæ, quibus dē summa rerum certior redderetur: aliȩ ad Prouincias, oppida, militum præfectos datæ de ijs quæ sciri, & geri ab vnoquoque oporteret: ne tali interregno, quód procliue, & solet, quicquam damni Belgiū pateretur. Statim, vt voto Regis hac in parte satisfieret, Parmensis obitu interrupta in Franciam

ciam expeditio tertia, Fidei & fœderatorum defendendi gratia. Delectus Imperator ad eam Carolus Petri Ernesti filius, cui par animi, & corporis robur, nec aliæ virtutes militares deerant; festinauit quas Parmensis copias collegerat ducere, ijs se nutantes & exiguæ fœderatorum reliquiæ adiunxerant: Iussus erat recta Lutetiam tendere, vna cum duce du Maine, vt ordinibus Franciæ Regem Orthodoxū electuris, & ideo illic congregatis, auxilio & præsidio esset, calcar quoque adderet electoribus, interea dum Dux Feriæ, & Innicus Mendozius, & alij à Philippo Rege ad id missi venirent: sed qua mente nouit Deus, Mainæ Dux hoc quoque consilium corrupit. Auctor fuit vt in via Nouiodonum oppugnaretur; quod dum capitur, moram copiæ traxere. Alius error accessit: quod Philippi Regis deputati Franciæ ordinibus, non statim initio indicarunt, Catholico Regi hoc vnum in votis esse vt aliquem Francorum Principum fidei Catholicæ tenacem deligerent; quem ipsi elegissent, quicumque ille foret, ei Philippi vires neutiquam defuturas: contra illi principio aliquos, quasi ex præscripto nominarunt: quę res Mainei, & aliorum animos adeo perculit, vt confestim aliqui á fœdere desciuerint, & Henrici Borbonij, nondum Ecclesiæ Orthodoxæ restituti, partibus sese adiunxerint; quidam etiam Lutetiam, alij Rothomagum non gratis ei tradiderint, Hispanis militibus, quorum virtute, & ope ciuitates illas hactenus retinuerant, sine vllo stipendio vel donatiuo dimissis.

Paris. *Dux de Feria.* *Don Iñigo de Mēdoza.* *Duque du Maine.* *Noyon.* *Paris.* *Roan.*

Hi se

Hi se Caroli Mansfeldij exercitui coniunxerunt. Carolus se ad Belgium limitem recepit; imposito *Han. La Fere. Vermādoijs.* prius præsidio Hani & Ferę oppidis Veromanduorum. Feram Montelimartius, Hanum Gomeronus Regi Catholico dediderant. Fidebat Carolus Gomerono, ideo nullum arci præsidium reliquit, contentus oppido imposuisse. Vanam eam fiduciam *Noijon.* euentus comprobauit. Nouiodunum quoque, quod Multorum Hispanorum, & Valonum nece ac vulneribus steterat, traditum Duci du Maine, paucos post dies à Francis, quibus tuendum com- *Lan.* miserat, hosti proditum, Laodunensium obsidionem soluere Regij irrito conatu aggressi; ferro & inedia multi perierunt, in recessu maior clades & summū dedecus, Henrico Borbonio cum equitatu valido instante, recepta fuissent; nisi legio Hispana postremi agminis curam, & hostis reprimendi negotium sponte recepisset: eius constantia & mortis contemptu factum, vt bellica tormenta & exercitus totus, superatis angustijs in loca tutiora euaderet. Quotiescumque Borbonius impressionem conabatur, Hispani vultu conuerso, & hastis prætentis, impetum excepturi consistebant: hæc adeo *Don Gaston de Fox.* præfracta & desperationi similis audacia, insolentē victorem subsistere coëgit: memorem forte vni de maioribus suis Gastoni Fuxeo similem ab eadem *Rauena.* gente exitio prope Rauennam fuisse. Amissa cetera *La Fere. Han.* oppidula & arces, quas partim Parmensis, partim *La Chapele.* Mansfeldius Francis ante ademerāt; pręter Feram, Hanum, & Capellam: tot sumptibus, laboribus,

periculis

periculis aliud nihil Catholico Regi partum, nam minuta castella, nidulos latrociniorum limiti infestos, disijci vel exarmari mænijs disiectis placuit: parte alia his tribus expeditionibus in fœderatorũ gratiam susceptis, dum miles Catholicus Francis desudat, totius fere Frisiæ iacturam fecit, in Brabantia Gertrudibergam, in Geldria Neomagum, in Flãdria Hulstum magna munitaque loca perdidit. Sic fit, dum proprijs neglectis aliena curamus. Nam pecuniæ minor iactura, etsi illa per se maxima fuit in Maineum, Guisium, Lachatrium, Brissacum, Vitrium, & alios fluxæ fidei nobiles profusa: qui mox apertè profugerunt, minus hostem professi nocituri, quàm cum palam amicos se ferebant, odium animo fouentes. In fide perstiterunt Dux de Aumale, Roneus Mareschallus, Montelimarius Seneschallus, & alij non multi nomina minora. Gertrudibergę obsessę liberatio sero suscepta, profectus Comes Mansfeldius Pater, negligenter & remissè se gessit, itaque præsidiarij Burgundi, qui diu strenuissime obsidionis omnia incommoda pertulerant, vi & auxilij desperatione, vrbẽ dedere coacti fuerunt. Nihil aliud Petro Ernesto Gubernatore, actum gestumve. *Sinte Gertrubergen. Nieme-ghen. Hulst. Rone. Montelimar. Sinte Gertrubergben.*

ANno 1594. Octaua Ianuarij Ernestus Archidux Maximiliani II. Imp. filius summa cunctorum expectatione in Belgium venit. Eum Belgis Deus ostendit tãtũ. Princeps pius erat & bonus, pacis amãs, & pace quã bello vtilior: putabat sola authoritate nominis rem posse componere. Vix adue- 1594.

nerat, cum aduersa valetudine tantopere cœpit afflictari, vt non modo, quod res flagitabat, nequiret reip. malis animũ serio adijcere, sed vt plurimũ nec audire posset ipse, quæ gerebantur. Domesticis quibusdã gratiosis fidebat, hi facilitate & morbo eius ad auaritiã & prauos affectus alios abutebantur, & Principem decipiebant, omnes aditus claudẽtes, ne monita Comitis de Fuentes, & aliorũ Deo & Regi fidorũ ministrorum, admitteret. Ipsi interea, multa permittere, quædã statuere, quæ extremo Belgium periculo exponebãt. Ideo primũ bonos mœror, & animi ægritudo occupauit, mox malorum grauitas impatientiã attulit, & silentiũ abrũpere coegit: omnes palã liberius miserias publicas miserabãtur, pauci fontem malorum nouerãt. Scelerum artifices, vt à se perfidiæ suspicionẽ amolirẽtur, statuerunt culpã in capita innocentiũ deriuare: spargunt per suos rumore vario, Comitẽ de Fuentes & alios Regi addictos, maxime nominis Hispani, malorum omniũ authores esse, ipsis volẽtibus & suadentibus pacẽ & publica cõmoda impediri. Nota Archiducis Ernesti bonitas pronã his dictis fidem impetrabat: & quã facile erat, sopitas odiorũ flãmas in Belgarũ pectoribus talibus dictis accendere, tam difficile calumniã passis flãmis extinguere, quãtumuis in cõuentibus & consilijs cũctis clara innocentiæ suæ & sensus ab his planè abhorrẽtis signa assiduè præberẽt. Belgas calamitatis acerbitas, ne luce clara viderẽt, excæcarat; ne veritatẽ audirent, calumniæ aures obturarãt. Miseri planè cum & Rex absens, & qui Pro-Rege

propter

propter ægritudinẽ adiri nõ possẽt: spe fracti,cõsilij inopes,votis irriti,quẽ se in portũ reciperẽt,& vnde malis remedia peterent ignari Belgæ? vt rebus deploratis vulgus solet, deterius remediũ amplectuntur,fucum cassæ, mendacis,impiæ, fædæque Pacis, quam tunc Hollandi,ceterique hæretici ac rebelles se non abnuere simulabant : non quod pacem fieri optarent,quam cane peius oderant, nec quòd vllas vel æquissimas cõditiones vellẽt accipere,sed quia instituto suo,de vniuersi Belgij tyrãnide occupãda, mirificè simulationẽ istam expedire arbitrabãtur. Vnam huic rei remoram Hispanos ceterosque nationis exteræ milites iactabant:hi si pellerentur,vel dimitterẽtur prius,separatos postea ponere arma, & dexteras iungere. Videlicet Catholicæ caulæ canes depellere & amoliri nitebantur, vt gregem incustoditum degluberent ac deglutirẽt.Sic se sperabant breui Apostolicę Romanę fidei sanctiones,& Regis sui imperiũ conculcaturos;qui scopus & finis conatuũ omnium,iam inde à principio rebellionis Guilhelmo Orangio& socijs fuit.Quod auidè amabant,id se cõsecutos sõniabãt: certi de cõsilij euẽtu, vix aliud in circulis & cõsiliabulis suis agitabãt,quã quibus rationibus alijs Hispanis iter in Belgiũ occluderent,ijs vero qui discessuri exitũ omnẽ intercipẽrẽt suadebat prudẽtia,hosti strẽnuo,& cũ vrgetur vitę prodigo, pontẽ potius argẽteũ sternere:sed cęca crudelitas sanguinẽ sitiebat, & iugulis imminẽs nihil pensi habebat, vel cum proprio detrimento,pactam discedentibus securitatem violare. Inte- *Principe de Orãge.*

rea dum adhuc ſpiraret Archidux, qui anno 1595. Martij 19. deceſsit è vita, & dum pacis ſtudium ſimulant cum Henrico IIII. Francorum Rege belli infeſtioris conſilia ineunt; vt ille Lutzenburgenſem Ducatum inuaderet pacti, illi vero in ditione Leodienſi quædam oppida, vt ſic vires coniungerent: Balignius autem Cameracenſium tyrãnus inde Hannones & Arteſios laceſſeret: qui Franciæ Regi Homagio præſtito Princeps Cameraci fuerat ab eo nominatus: ſic dum pacem ſimulant, bellum vndique intulerunt. Primus ex parte Sedanenſium Dux Bullonius, in Lutzenburgenſi ditione potitur Iuoſio, La Ferte, Xabanſio, & locis alijs ſubita & inexpectata inuaſione. Hollandi mox Huyum intercipiunt. Ditio Leodicenſis neutri adhærens parti, dum vtriuſque amicitiam ſtudet conſeruare, ab vtraque ſpoliabatur, vt ſolent quibus cordi non eſt ſententia Solonis. Aberat tum in Germania Princeps Eburonum ex Bauariæ Ducibus Elector Colonienſis Erneſtus, optimis in diæta Imperiali officijs pro Catholica functus Eccleſia. Viſa perfidis Batauis proba fœderis violandi occaſio. Haſſeleto, Maſeycæ & ipſi Leódio inſidiantur, vno cuncta die proditorum opera inuaſuri, cetera irrita, de Huyo ſucceſsit. Nam Henricus Voſsius Haſſelenſis, homo plebeius, arroſæ quondam monetæ reus arcem cum ſocijs nocte intempeſta occupauit. Simul viginti erant: præcedebat Voſsius, & reptans per rupem editam, cui arx impoſita, ſchalas è funibus

Luſenburque. *Liege.* *Baligni.* *Cãbray.* *Henaute.* *Artoys.* *Heſdan.* *Duque de Bullõ.* *Iuoÿs.* *La Ferte.* *Xaban.* *Huy.* *Principe de Liege.* *Hollandeſes.* *Haſſel.* *Maſeyc.* *Liege.*

ad murum vſque diſponebat, & vncis ferreis firmabat: ſic ad feneſtram peruenere, ac cancellis ferreis paululum ſubmotis, in aulam Flandrenſem (ſic vocant) ſilenter ingreſsi, præfectum poſtridie miſſam audientem, & paucis militibus ſtipatũ oppreſſerunt. Re audita miſsi Leodio non pauci equites, ex Condruſijs peditum aliquot ſigna Præfectus Prouinciæ Bruyſsius adduxerat, quibus ſi ſe ciues adiunxiſſent, viç in arcem præcludi, & ciuitas defendi poterat. Verùm ignauia ſiue perfidia magiſtratum oppidani, velut Panico terrore perculſi hoſtem intromiſerũt auxiliares copias abire, & ſua curare iuſſerunt. Adfuere proditoribus confeſtim equites leuis armaturæ quingenti, pedites octingẽti, duce Heronguerio exule Cameracenſi, Bredano Gubernatore. Hunc Mauricius veteranum & veteratorem oppido & arci præpoſuit. Ingreſſus cum ſuis vrbem, velut vi captam diligẽter diripuit. Vrbi loca vicina vaſtauit, chatolicos ditiores in neruum compegit, pauperiores à quibus lytri opimi ſpes nõ affulgebat, per acerbos cruciatus necauit: nulla tũc Batauis templa, nulla monaſteria intacta, pretioſa furati, locorum religionem profanarunt, dicatas Deo virgines conſtuprarunt, cæleſtium imagines confregerunt, nihil prætermiſſum, quod á latronibus rapaciſsimis, carnificibus ſæuiſsimis, & hæreticis profligatiſsimis potuit timeri. Multi in ipſa Eburonum Metropoli nouarum rerum ſtudioſi verſabantur, qui de Principe & ordine Eccleſiaſtico, cuius illic diuitiæ magnæ, numerus frequens, digni-

Liege *Cõdroy.* *Herõgier* *Breda.* *Conde* *Maurició de Naſau.* *Liege.*

tas prçcipua, summum imperium; expellendo, consilia inibant clanculum, & seditiones leuiusculas, grauiorum prçlusiones, miscebant. Verum à quodam Imperij Electore; cui, licet Lutheri perfidia imbuto, tam nefarij conatus improbabantur; Princeps Ernestus Bauarus admonitus, celerrime ex Germania Leodium aduolauit. Hçc celeritas telam araneorum disrupit. Capti in vrbe sçditionis Principes, & pars capite luerunt. De Huyo disceptatum. Primo decretum bello abstinere, & iniuriam Batauorum dissimulando violatum fœdus vt sartũ tectum conseruare, sinerent Regios cũ rebellibus confligere, ipsi non actores fabulç, sed spectatores essent. Nihil religioni Catholicç, tum perniciosius, nihil gratius hçreticis potuit, quã hoc decretum accidere. Carolus Billeus, qui Ecclesiæ, & Principi fidus, hoc cernens vt dissiparet persuasit, ea de re iterum in consilio referri, & maturius cuncta considerari. Principi, vere studioso tuendç religionis Catholicç, ostendit tam impedita, & turbata esse omnia Regijs, propter ea quç diximus, vt vix queant sine Eburonũ auxilijs soli in tẽpore Huyum recuperare. Quod si soli perficerent, tam fœde desertam á Leodicensibus arcẽ; qua isti fronte ab illis auderent otiosi spectatores alieni laboris ac sanguinis premium postulare. Vel cedere sponte arce, oppido, territorio Huyensi, potius omni ope allaborã dũ, vt Batati intelligant. Eburones sua sibi per fraudem specie fœderis eripi non passuros, nec animos, nec vires vlciscendç iniuriæ deesse. Hoc nũc saluti,

Liege. *Liegeses. Huy.*

post

post & præsidio fore, ne similia vicini moliantur. Scribendum ergo ad Archiducẽ; qui nondum animã efflauerat, cum hæc disceptarentur; petẽdum vt collatis viribus, opera mutua, commune incẽdium extingueret. Sic prius decretũ meliore mutatũ, & curæ posteriores, præstabiliores fuere. Actũ ab Electore Ernesto, cum Ernesto Archiduce per litteras, vt primo quoque tempore Huyensi nidulo, qui inuolarãt milui exturbarentur. Summam rerum in hoc cardine volui. Nam si vires confirmare & se cũ Frãcis, qui in Lutzẽburgensi Ducatu bellũ gerebãt, coniungere Huyenses sinerẽtur; Namurcẽses, Hannones, Brabantos, omni cõmercio, & securitate spoliãdos, interceptas quoq; trãsuectiones ex Germania Italiaq; in Belgiũ iri, nec facilè militẽ è Burgundiæ comitatu, ceteris Belgij prouincijs adduci posse; si loca occupata hostis munire sineretur. Sũma celeritate opus esse; se quicquid posset op⁹ allaturũ; simul milites, tormenta, annonã quę pręstaret, significauit; nec defuit promissis. Ex Frãcia nõ lętiora nũtiabãtur, & cõstabat fœdus frãgi, fœderatos dilabi, nobiles nutare, & quẽque suis rebus cõsulere. Denique Artesij, & Hãnones capita cõferre, coitiones facere, vbi de pace cũ Frãcis, & rebellibus ordinib⁹ ineũda, vel inuito Rege, certè incõsulto, agebatur. Se negligi à Rege & Archiduce deseri, á militibus expilari, sibi prospicere debere, reipublicę salutẽ legẽ esse supremã. Nec defuerat qui in cõuẽtu de Austriaca familia in aliã mutanda, & nouo Principe deligendo mẽtionẽ inijceret, Mulartius Antistes Atrebatensium,

iam

Don Iuã de Auſtria. iam ante Ioannis Auſtrij gubernationem, non minimum ventilabrum rebellionis. Contra optimi quique (nam multis de hac pace tractare non placebat, eo quod clare fraudes & inſidias rebellium perſpiciebant) hiſce cõtradicentes, acerbis aliorum odijs, & minacibus dictis preſsi, nec libere quod ſentiebant dicere, nec contra niti audebant. Quemadmodum fluuiorum exundationes, niſi aggeribus obiectis reprimantur, omnia perrũpunt & demergunt: ſic mentium ſemel deceptarum iſthæc aberratio longius ſemper á ratione deflectens, & ſana conſilia ab effrenata vęſania plurium in pręceps rapiebantur. Immemores erant pręteriti tẽporis exemplorum. Non reuocabant in memoriam, quã graue vulnus Catholica religio, & ſtatus Belgij iam bis diceſſu Hiſpani militis accepiſſet. Tertia iá vice Batauos eadem ſica in Repub. graſſari non conſiderabãt. Perieramus, niſi Deus (vt aiunt) ex machina ſe intuliſſet, & quod mortalibus impoſsibile, id ſibi factu facillimum oſtendiſſet. Salus inopinata vndique affulſit. Moritur Archidux, ſuccedit ex Regijs litteris in gubernationem Comes de Fuẽtes, qui cum optimè cauſas malorum noſſet, & iuſtitię reſtaurandę, & ærarij melius conſtituendi, & militaris diſſolutionis reſtringẽdæ negotium ſerio ſtatim ſuſcepit. Magna celeritate Valẽtinum Mottæ Dominum, Artilleriæ Generalem mittit Huyum, & iubet Ludouico Velazquio vt eodem ſe cum peditatu conferat. Renitebatur Velazquius, & detrectabat Mottæ ſubeſſe: Comes rem aſtu ſedauit. Iubet Anto-

Valentin de Par dieu. Mottæ Domin'. D. Luis de Velazco

Antonio Zunigæ Veterano Legionis Hiſpanicæ Tribuno, vt ipſe eo proficiſcatur; quo nihil cunctá-te, puduit Velazquium obedientia vinci. Ambo ita-que Huyum obſeſſuri tendebant. Tertio die, quo á Turnhautio Regij mouerant, pedites præcedebãt, equites ſubſequebãtur: his in tribus pagis diuerſan-tibus, metatores nunciant, Batauorũ equites quin-gẽtos, haud procul inde prędа & ſpolijs graues pro-ficiſci. Ioãnes Corduba equitatus illius magiſter, re intellecta, iuſsit ſingulos, vt quique aduenerant in hoſtem manipulatim tendere, & prout in eum inci-diſſent pugnã inchoare: ratus, quod res erat, ſi hoſtis paucitatem noſtrorũ aduertiſſet, qui ducẽtis plures nõ erant, animoſiorem futurũ & cladem illaturum, numerũ veró minime initurũ, ſi ſinguli ſe ſeriatim intuliſſent: deniq; ſuſpicaturũ hos antecurſores eſſe totius exercitus ſubſequẽtis, & ideo de fuga, quã de pugna citius cogitaturũ. Non fefellit opinio. Primi accurrerũt, pauculi qui tum aderant hippoſlopiſtæ GrobbẽdoncKij, quos eo abſente, vir fortis LecKer-betius Locũtenens ductabat: ſubſecutus, cũ haſtatis ſuis Sancius de Luna, mox ceteri tãta feſtinatione, vt prope Tungrorũ vrbem in planicie ſimul vndi-que Corduba, Luna, Salazarius cũ turmis ſuis irrue-rent, & hoſtes in fugã verterẽt, vix facie hoſti oſtẽſa, pauci in prælio ceciderunt, plures vulnerati, ceteris pedũ velocitas ſaluti fuit, multos ruſtici acceptarũ iniuriarũ memores interemerunt. Ex Regijs nullus defuit. Corduba ad Tungros vſq; perſecutus fugiẽ-tes, quos Tungri in vrbẽ admiſerunt, Cordubã cũ

Don Antonio de Zuñiga.

Turnhaut.

Don Iuã de Cordo ua.

Capitan Grobbendonke.

Lekerbeetken.

Don Sãcho de Luna.

Tungerẽ.

Capitan Salazar.

Regijs excluſerunt. Equi capti vltra quadringẽtos, *Febr u.* biſsi, holoſerici, & mercium aliarũ quas Fleruuiæ di ripuerãt, vis magna. Regias partes hic euẽtus valdè reſtaurauit, & benè ſperandi quaſi ſignum ſuſtulit, docuit Regijs equitibus, cũ vellent adniti, Batauos inferiores eſſe, & Regijs non vires, ſed voluntatem hactenus defuiſſe. Poſtridie Huyũ peruenit exerci-*Liegeſes.* tus: ibi adfuere auxiliares Eburones, & ænea tormẽta per fluuiũ ſubuecta ſat bona, ſi plura: Regiæ machinæ murariæ nõdum perductæ, deerãt alia quoq; nõ pauca obſidioni & oppugnationi neceſſaria, quę tamen mox magna ſedulitate Comitis de Fuentes (iam vnanimi cõſenſu ordinũ, clauo manũ admouerat) ſunt maturata. Anni tẽpore difficillimo Martij die xiii. prima proluſione, ſingulari ſtrennuitate Velazquij & Zunigæ ex pulſis Batauis, ſuburbia fuerunt occupata. Sic hoſtis præuentus, ne, quód in eã diẽ inconſultè diſtulerat, cœnobiũ ſanctiſsimæ Trinitatis dirueret: id quia non nihil edito loco & firma ſtructura erat, noſtris commodo, Batauis magno damno fuit. In ſuburbio & cœnobio annonæ copia magna fuit reperta, fida quoque noſtris ſtatio caſtris locandis, quæ res frigido & pluuio cælo ad celeriorem victoriam non minimum profuit. In cœnobij loco eminentiore quatuor ænea tormenta locata, & his mœnia quatere inſtitutum: poſt dies paucos ruina, quæ nonnullos ſimul incedentes milites caperet, ſtrata: per hanc Hiſpani cœſis octoginta qui reſtiterant, reliquis in arcem confugientibus, ingreſsi. Arcem natura tutiſ-

ſimam

ſimam rupe præcelſa, & fermè inacceſſa reddebat, humana veró induſtria murorum, foſſarum, & propugnaculorum munitione decorarat. Idcirco quam putabat vi expugnari vix poſſe, eam Motta ſtatuit machinis ſulphurarijs diruere, & propugnatores ruina obrutos pro mauſoleo ſepelire. Cœpit id facere duabus ex partibus tormentis quatuordecim terribili boatu & ſpectaculo. Præſidiarij latrocinijs quám bellis exercitatiores trepidare, quod in arce intuta ſibi omnia viderent; & conari clanculum datis ad Mauricium Naſſouium litteris auxilia accerſere: ſed tabellarij omnes hoſtium potiti. Ex litteris cognitum, vrbē & arcem Mauricij nomine, initium noui Principatus in ceruices Eburonum & Namurcenſium teneri ab Herongerio; quid id amiculis ſuis ſine fuco perſcribebat. Sed iactantiæ raró comes conſtantia. Ecce ſeptimo ab obſidione die Martij viceſima, deditione arcem reddiderunt, pacti vitam & quæ in arcem ipſi intulerãt: ibi inuenta quæcumque obſidioni ferendæ neceſſaria cuſtodia Ioanni Sornoſæ Hiſpano centurioni cum cohorte eius demandata, donec Rex, quod vellet ſtatueret. Leodienſes id ægrè tulerunt, quod etiam ſuæ gentis milites arci præficiendos cenſerent. An ex pactis conuentis vel ſpe ſola id poſtularint, neſcio. Sane Comes Fontanus rem ſuo noluit arbitrio decidere, ſed ad Regē detulit. Rex ſola fide & pietate vſus, reſtitui arcem, vrbemque Electori iuſſit, præfatus ſe Leodicenſi Eccleſiæ, quám adimere, de ſuo largiri malle.

Conde Maurицio de Naſſau.

Liegeſes.

Iuan de Sornoſa.

Liegeſes.

Cõde de Fuentes.

Quam feras tam iuſtas tūc vltio diuina ab Huyēſibus peſsime ſemper in Chatolicorū partes affectis, pœnas exegit. Spoliati cuncta ſupellectile, quam miles victor Namurcenſis, Leodienſibus, Traiectēſibus mercatoribus vili pendebat, huc ea gratia aduolantibus, & fluuij commoditate ad auectionem vtētibus, adeo vt & feneſtras, & portas, & quicquid vllius pretij, abſportarint: quód ſupererat illic hærens miles cum puluiſculo euerrebat. Velazquianis & Zunigianis Comes duo ſtipendia numerari iuſſit: ſic inopiæ militum & tranquillitati conſultum. Simul Comes animum adiecit ſubleuandæ calamitati Prouincialium, curauit equites pediteſque ijs locis diſtribui, quibus amici minore, hoſtes maiore moleſtia & damno afficerentur. Ad hæc ſuſtulit exactiones ſuperindictorum, quæ fuerant multæ & graues, vetans ne vllus á quoquam exigeret, nec quicquā vlli quid contribueret, niſi ſi quando ipſemet diſertè iuberet: ſancita pœna capitali in edicti violatores. Hoc beneficium alio cumulauit, vt querellis hoſpitum, & apud eos degentium militum occurreret, conſtituit quid quantumque militi hoſpites præberent, & formulam exhibitionis ad locorum magiſtratus miſit, iubens viderent, ſibique ſignificarent, nūquid miles amplius extorqueret; ſe id multum non permiſſurum. Quod cum innotuiſſet, repreſſa militū auiditas, qui á Francis didicerant non lautas modo epulas, ſed pecuniam pro apophoreto exigere. Norant Comitis ſeueritatem in pœnis exigendis, & iam

Los de Namur. De Liege. De Maſtrique.

cœperant

cœperant sentire Galbam esse non Getulicum. Nihil iam fermè vexationum, vel concussionum vt ante audiebatur. Nec minor in militari disciplina districtio, accuratã in castris disciplinam pepererat, nullus edicta vel imperia violabat, quin supplicio noxam lueret: quod cũ cuncti metuerent, pauci delinquebant. Mouerant seditionem Itali, & se illis Hiberni coniunxerant: quos calido magis, quàm prudenti aut vtili decreto Archidux per Hispanos Sichemio non sine cæde eiecerat; & seditiosi videbantur se Batauis addituri. Comes de Fuentes nolẽs veteranis hisce maximè tali equitatu, hostes roborari, industriè & humaniter cum illis agendo, perfecit vt Thenis quieti subsisterent, dum de stipendij solutione transigeretur. Eodem tempore Huyo recuperato Mottæ, Comes imperauit vt Verdugo festinaret suppetias, abductis secum Marchionis Varambonij Burgundis, Comitis Soræ Valonibus, Soltrensis ac Rossenij Germanis; vt cum hisce copijs, dum aliæ subsequerentur, Bulloníj apud Lutzenburgenses audacia reprimeretur. Franciscus Verdugus olim Frisiæ gubernator, non sine periculo & cædibus vrbes ereptas recepit primo Xabansium, deinde Lafertam, cui cum auxilio Bullonius accurrisset, acriter ibi pugnatum: Victoria penes Verdugum stetit. Occisi & capti multi nobiles Frãci, Bullonio fuga profuit, denique Iuosium cum arce Franci, & Lutzenburgensium prouinciam deseruerunt. Hic finis belli apud Leucos & Eburones. Interea Comes Bruxellis Prouinciarum & Vrbium

Sichem.

Tilemont

Frãcisco Verdugo.

Marques de Varanbon.

Conde de Sor.

Duque de Bullõ.

Xaban.

Laferte.

Iuoys.

Lutzenburgeses.

Liegeses.

preces & querellas audire, comiter respondere, celeriter expedire, conari omnibus quo ad poterat satisfacere, neminem, aditu vel alloquio arcere, vel iuste merentem dimittere: his artibus breui consecutus, vt omnium amorem in se raperet: & , si qui minus eum diligerent, quod vitari in humanis nequit, attamen admirarentur virtutem, nec obloqui auderent; sed sibi de fœlici eius administratione quam optima pollicerentur : spem Deus mox in rem contulit. Artesij & Hannones limitem suum à Francorum incursionibus non satis tutum iure querebantur, & se Cameracensium & Dorlanensium iniurijs nimis expositos ostendebant. Si Comes eo arma verteret, militem, annonam, & pecuniam nonnullam offerebant. Comes per Richiardotem Præsidem & Moriensartum Secretarium ijs respondit, sibi quidem in optatis esse ipsorum gratia hanc expeditionem suscipere: sed sibi tum nec pecuniam quæ necessaria præsto esse, nec militem satis frequentem, partem alibi bello distineri, partem palam seditiosam iussa detrectare, ceteros queri multa stipēdia debita differri. Venationem haud solere fœlicem esse, quæ renitentibus canibus instituatur. Ipsi ergo conarentur quantum fieri posset, se liberales in milite colligendo, & sumptu præbendo præstare; desiderijs ipsorum se non defuturum. Gratissima responsio fuit. Receperunt facturos sese quicquid valerent, & militis, annonæ, pecuniæ certam quantitatem addixerunt. Comes statuit ipse proficisci : Sed nequid absentia eius

Los de Artoys y de Henaut.
Cābray.
Dorlens.
Presidēte Richardot.
Moriēsart.

freti, in Brabantia, Flandriave aduersarij molirentur; fortalitia, quæ in Vasia Hulstensium eruptionibus comprimendis extrui mandarat, perfici curauit, & præsidio reliquit cohortes aliquot Valonum & Heluetiorum, Brabantiam defensuros manere iussit Hispanos legionarios Zunigæ & Velazquij, cum equitum quinque vel sex turmis & legione Germanorum quibus Baro Pernestenius præerat: hos omnes Coronello Christophoro Mondragonio Cantabro, qui tum arci Antuerpiensi præfectus, iubet parere, ipsi dat in mandatis, vt cum his copijs in omnem partem intentus, videret ne alicunde prouincia quicquam damni caperet. His curandis sex non amplius hebdomadæ impensæ, ad exactum vsque Maij mensem, ceteræ copiæ, vt iussæ se in fines Hannoniæ contulerunt, peditum millia circiter quinque, equites mille, cum machinis & apparatu reliquo: tam paruo exercitu Franciæ, bellum illatum. Bruxellæ manserunt Dux Feriæ qui cogitabat reditum in Hispaniam, Stephanus & Didacus Ibarræ, vt pecuniarijs rationibus vacarent. Nona Iunij Comes Bruxellà egressus, comitante licet ægro, Duce Pastranæ Magistro leuis equitum armaturæ, & Domino de Rosne Mareschalco exercitus, & alijs qui huic bello interfuerunt. Magnis iteneribus eodem die montes Hãnorum peruenit, postridie Valencenas, ibi coactus quatriduum hærere dum Chimay Principis ad exercitum aduentum operitur. Chimay tria millia peditum Valonicæ gentis, & tres Cataphractorum

Prouincia Vaes Hulst.

Perneneni.

Christoual de Mondragon.

Duque de Feria.

Esteuan y Don Diego de Ibarra.

Duque de Pastrana.

Mons de Henaut.

Valenciènes.

Principe de Chimay.

phractorum turmas ducebat, parantem se Comiti coniungere, Franci in se conuerterant, qui Chimay oppidum & arces aliquot Hannoniæ obsederant: sed à Principe feliciter pulsi: & Chimaius se Comiti

Marcoinig. prope Marcoinum coniunxit, maxima gratulatione tam cito pulsis fugatisque Francis. Lustratæ copiæ, inuenti equites mille quingenti, peditum septem millia: in his pauci Germani, ex legionibus Alphonsi Mendozæ & Augustini Mexiæ Hispani mille quingenti sed selecti & Veterani, ceteri Valones, censu peracto consilium à Comite conuocatũ, cui interfuere Principes Chimaius & Auellinus, Comes Bossutus, Mora, Rosneus, Mendozius & Mexia. Ibi Comes exponit, se vehementer Hano metuere: militem vrbis præsidiarium in periculo versari propter fluxam Gomeroni multis indicijs compertam fidem. Vereri se ne frater eius Dorullerius arci præfectus cũ vicino Bullonio mali quidpiam machinetur. Cupere se intelligere, num eo proficiscẽdum, & insidiæ præoccupandæ: aut quid aliud remedij ipsis occurrat. Primæ sententiæ honor delatus Chimayo, dixit maiorem militũ quos adduxerat partem sponte nomina dedisse: si viderint Comitem ad alia vti opera ipsorum, quam iusserint Hannones, magnopere vereri se, ne dictis suis minus deinceps pareant, & volonũ quisque ad sua dilabatur; quos spes liberandæ Prouinciæ, à peracerba Balignij vicinia, & Frãcorum incursionibus, sola exciuerat. Horum discessu ad eam paucitatem exercitum redactum iri, vt sine discrimine euidẽti, nullius

Don Alonso de Mendoza.
Don Agustin Mexia.
Principe de Auellino.
Conde de Bossu.
Han.

nullius oppidi vel arcis munitioris obſidio tentari queat ita hunc apparatum in nihilum abiturũ, & Arteſios Hannoneſque perſuaſum habituros ſe vanis pollicitationibus deluſos,id ſibi cum alias ſẽper,tum hoc tempore potiſsimum ſeriò cauẽdum videri, hoc ſe opinari, libenter aliorum ſententias auditurum. Viſum omnibus,recta ſuaſiſſe. Decretũ vnanimi cõſenſu Hani negotium nunc ſeponendũ, quod oppidi tam cito amittẽdi non tam magnum periculum ſubeſſe videretur. Id Gomeronum & alterum eius fratrem,& ſororiũ obſides fidei,id mille & ducentos milites præſidio in vrbe relictos,id tam propinquum Comitis exercitum confirmare. Minimè negligẽdam occaſionem has duas limitaneas & bellicoſas prouincias, quæ tam alacriter ſuppetias ibant, in poſterũ firmius deuinciendi: ſi nũc illorũ votis ſatisfieret,nihil poſtea impendij vel oneris recuſaturos. Præſagiebat Comiti quod euenit animus; ſed conſenſu cũctorum vinci ſe paſſus, ſententia mutata Caſtelletum obſidere inſtituit: quod optatum ſocijs,& vtile ad compeſcendũ ſubceſſorem Cameracenſem, cuius tyrannidem exſcindere magis optabat,quam ſperabat: & ne ſic quidem ab Hano longe recedebatur. Bullonius crebris litteris nunciabatur numeroſum ex Picardię præſidijs militem euocare; & aliæ ſe difficultates oſtentabant, quarum nulla Comitem perculit, cui ductor Deus animum addebat. Iunij die xv. meridiana luce ante Caſtelletum peruenit,confeſtim in ipſa planicie vt aduehebantur quatuor murales machinas in vr- *Chaſtelet.*

D bem

Don Iuā de Austria. iam ante Ioannis Austrij gubernationem, non minimum ventilabrum rebellionis. Contra optimi quique (nam multis de hac pace tractare non placebat, eo quod clare fraudes & insidias rebellium perspiciebant) hisce cōtradicentes, acerbis aliorum odijs, & minacibus dictis presi, nec libere quod sentiebant dicere, nec contra niti audebant. Quemadmodum fluuiorum exundationes, nisi aggeribus obiectis reprimantur, omnia perrūpunt & demergunt: sic mentium semel deceptarum isthæc aberratio longius semper á ratione deflectens, & sana consilia ab effrenata vęsania plurium in pręceps rapiebantur. Immemores erant pręteriti tēporis exemplorum. Non reuocabant in memoriam, quā graue vulnus Catholica religio, & status Belgij iam bis dicessu Hispani militis accepisset. Tertia iá vice Batauos eadem sica in Repub. grassari non considerabāt. Perieramus, nisi Deus (vt aiunt) ex machina se intulisset, & quod mortalibus impossibile, id sibi factu facillimum ostendisset. Salus inopinata vndique affulsit. Moritur Archidux, succedit ex Regijs litteris in gubernationem Comes de Fuētes, qui cum optimè causas malorum nosset, & iustitię restaurandę, & ærarij melius constituendi, & militaris dissolutionis restringēdæ negotium serio statim *Valentin de Pardieu.* suscepit. Magna celeritate Valētinum Mottæ Dominum, Artilleriæ Generalem mittit Huyum, & iu*Mottæ Domin⁹.* bet Ludouico Velazquio vt eodem se cum pedita*D. Luis de Velazco* tu conferat. Renitebatur Velazquius, & detrectabat Mottæ subesse: Comes rem astu sedauit. Iubet

Anto-

Antonio Zunigæ Veterano Legionis Hiſpanicæ Tribuno,vt ipſe eo proficiſcatur; quo nihil cunctāte,puduit Velazquium obedientia vinci. Ambo itaque Huyum obſeſſuri tendebant. Tertio die,quo á Turnhautio Regij mouerant, pedites præcedebāt, equites ſubſequebātur:his in tribus pagis diuerſantibus,metatores nunciant,Batauorū equites quingētos,haud procul inde prędа & ſpolijs graues proficiſci. Ioānes Corduba equitatus illius magiſter, re intellecta,iuſsit ſingulos, vt quique aduenerant in hoſtem manipulatim tendere,& prout in eum inci diſſent pugnā inchoare:ratus,quod res erat,ſi hoſtis paucitatem noſtrorū aduertiſſet, qui ducētis plures nō erant,animoſiorem futurū & cladem illaturum, numerū veró minime initurū, ſi ſinguli ſe ſeriatim intuliſſent: deniq; ſuſpicaturū hos antecurſores eſſe totius exercitus ſubſequētis,& ideo de fuga,quā de pugna citius cogitaturū. Non fefellit opinio. Primi accurrerūt, pauculi qui tum aderant hippoſlopiſtæ GrobbēdoncKij,quos eo abſente,vir fortis LecKer betius Locūtenens ductabat:ſubſecutus,cū haſtatis ſuis Sancius de Luna, mox ceteri tāta feſtinatione, vt prope Tungrorū vrbem in planicie ſimul vndique Corduba,Luna,Salazarius cū turmis ſuis irruerent,&hoſtes in fugā verterēt,vix facie hoſti oſtēſa, pauci in prælio ceciderunt, plures vulnerati,ceteris pedū velocitas ſaluti fuit, multos ruſtici acceptarū iniuriarū memores interemerunt. Ex Regijs nullus defuit. Corduba ad Tungros vſq; perſecutus fugiētes,quos Tungri in vrbē admiſerunt, Cordubā cū

Don Antonio de Zuñiga.

Turnhaut.

Don Iuā de Cordoua.

Capitan Grobbendonke.

Lekerbeetken.

Don Sāncho de Luna.

Tungerē.

Capitan Salazar.

Regijs excluſerunt. Equi capti vltra quadringētos, bisſi, holoſerici, & mercium aliarū quas Fleruuiæ di ripuerāt, vis magna. Regias partes hic euētus valdè reſtaurauit, & benè ſperandi quaſi ſignum ſuſtulit, docuit Regijs equitibus, cū vellent adniti, Batauos inferiores eſſe, & Regijs non vires, ſed voluntatem hactenus defuiſſe. Poſtridie Huyū peruenit exercitus: ibi adfuere auxiliares Eburones, & ænea tormē ta per fluuiū ſubuecta ſat bona, ſi plura: Regiæ machinæ murariæ nōdum perductæ, deerāt alia quoq; nō pauca obſidioni & oppugnationi neceſſaria, quę tamen mox magna ſedulitate Comitis de Fuentes (iam vnanimi cōſenſu ordinū, clauo manū admouerat) ſunt maturata. Anni tēpore difficillimo Martij die xiii. prima proluſione, ſingulari ſtrennuitate Velazquij & Zunigæ expulſis Batauis, ſuburbia fuerunt occupata. Sic hoſtis præuentus, ne, quód in eā diē inconſultè diſtulerat, cœnobiū ſanctiſsimæ Trinitatis dirueret: id quia non nihil edito loco & firma ſtructura erat, noſtris commodo, Batauis magno damno fuit. In ſuburbio & cœnobio annonæ copia magna fuit reperta, fida quoque noſtris ſtatio caſtris locandis, quæ res frigido & pluuio cælo ad celeriorem victoriam non minimum profuit. In cœnobij loco eminentiore quatuor ænea tormenta locata, & his mœnia quatere inſtitutum: poſt dies paucos ruina, quæ nonnullos ſimul incedentes milites caperet, ſtrata: per hanc Hiſpani cœſis octoginta qui reſtiterant, reliquis in arcem confugientibus, ingreſsi. Arcem natura tutiſſimam

Febr u. *Liegeſes.*

ſimam rupe præcelſa, & fermè inacceſſa reddebat, humana veró induſtria murorum, foſſarum, & propugnaculorum munitione decorarat. Idcirco quam putabat vi expugnari vix poſſe, eam Motta ſtatuit machinis ſulphurarijs diruere, & propugnatores ruina obrutos pro mauſoleo ſepelire. Cœpit id facere duabus ex partibus tormentis quatuordecim terribili boatu & ſpectaculo. Præſidiarij latrocinijs quám bellis exercitatiores trepidare, quod in arce intuta ſibi omnia viderent; & conari clanculum datis ad Mauricium Naſſouium litteris auxilia accerſere: ſed tabellarij omnes hoſtium potiti. Ex litteris cognitum, vrbē & arcem Maurícij nomine, initium noui Principatus in ceruices Eburonum & Namurcenſium teneri ab Herongerio; quid id amiculis ſuis ſine fuco perſcribebat. Sed iactantiæ raró comes conſtantia. Ecce ſeptimo ab obſidione die Martij viceſima, deditione arcem reddiderunt, pacti vitam & quæ in arcem ipſi intulerāt: ibi inuenta quæcumque obſidioni ferendæ neceſſaria cuſtodia Ioanni Sornoſæ Hiſpano centurioni cum cohorte eius demandata, donec Rex, quod vellet ſtatueret. Leodienſes id ægrè tulerunt, quod etiam ſuæ gentis milites arci præficiendos cenſerent. An ex pactis conuentis vel ſpe ſola id poſtularint, neſcio. Sane Comes Fontanus rem ſuo noluit arbitrio decidere, ſed ad Regē detulit. Rex ſola fide & pietate vſus, reſtitui arcem, vrbemque Electori iuſsit, præfatus ſe Leodienſi Eccleſiæ, quám adimere, de ſuo largiri malle.

Conde Mauricio de Naßau.

Liegeſes.

Iuan de Sornoſa.

Liegeſes.

Cōde de Fuentes.

Quam feras tam iuſtas tūc vltio diuina ab Huyéſibus pеſsime ſemper in Chatolicorū partes affectis, pœnas exegit. Spoliati cuncta ſupellectile, quam miles victor Namurcenſis, Leodienſibus, Traiectēſibus mercatoribus vili pendebat, huc ea gratia aduolantibus, & fluuij commoditate ad auectionem vtētibus, adeo vt & feneſtras, & portas, & quicquid vllius pretij, abſportarint: quód ſupererat illic hærens miles cum puluiſculo euerrebat. Velazquianis & Zunigianis Comes duo ſtipendia numerari iuſſit: ſic inopiæ militum & tranquillitati conſultum. Simul Comes animum adiecit ſubleuandæ calamitati Prouincialium, curauit equites pediteſque ijs locis diſtribui, quibus amici minore, hoſtes maiore moleſtia & damno afficerentur. Ad hæc ſuſtulit exactiones ſuperindictorum, quæ fuerant multæ & graues, vetans ne vllus á quoquam exigeret, nec quicquā vlli quid contribueret, niſi ſi quando ipſemet diſertè iuberet: ſancita pœna capitali in edicti violatores. Hoc beneficium alio cumulauit, vt querellis hoſpitum, & apud eos degentium militum occurreret, conſtituit quid quantumque militi hoſpites præberent, & formulam exhibitionis ad locorum magiſtratus miſit, iubens viderent, ſibique ſignificarent, nūquid miles amplius extorqueret; ſe id multum non permiſſurum. Quod cum innotuiſſet, repreſſa militū auiditas, qui á Francis didicerant non lautas modo epulas, ſed pecuniam pro apophoreto exigere. Norant Comitis ſeueritatem in pœnis exigendis, & iam

Los de Namur. De Liege. De Maſtrique.

cœperant

cœperant sentire Galbam esse non Getulicum. Nihil iam fermè vexationum, vel concussionum vt ante audiebatur. Nec minor in militari disciplina districtio, accuratã in castris disciplinam pepererat, nullus edicta vel imperia violabat, quin supplicio noxam lueret: quod cũ cuncti metuerent, pauci delinquebant. Mouerant seditionem Itali, & se illis Hiberni coniunxerant: quos calido magis, quàm prudenti aut vtili decreto Archidux per Hispanos Sichemio non sine cæde eiecerat; & seditiosi videbantur se Batauis addituri. Comes de Fuentes nolẽs veteranis hisce maximè tali equitatu, hostes roborari, industriè & humaniter cum illis agendo, perfecit vt Thenis quieti subsisterent, dum de stipendij solutione transigeretur. Eodem tempore Huyo recuperato Mottæ, Comes imperauit vt Verdugo festinaret suppetias, abductis secum Marchionis Varambonij Burgundis, Comitis Soræ Valonibus, Soltrensis ac Rossenij Germanis; vt cum hisce copijs, dum aliæ subsequerentur, Bullonij apud Lutzenburgenses audacia reprimeretur. Franciscus Verdugus olim Frisiæ gubernator, non sine periculo & cædibus vrbes ereptas recepit primo Xabansium, deinde Lafertam, cui cum auxilio Bullonius accurrisset, acriter ibi pugnatum: Victoria penes Verdugum stetit. Occisi & capti multi nobiles Fräci, Bullonio fuga profuit, denique Iuosium cum arce Franci, & Lutzenburgensium prouinciam deseruerunt. Hic finis belli apud Leucos & Eburones. Interea Comes Bruxellis Prouinciarum & Vrbium

Sichem.

Tilemont

Frãcisco Verdugo.

Marques de Varanbon.

Conde de Sor.

Duque de Bullõ.

Xaban.

Laferte.

Iuoys.

Lutzenburgeses.

Liegeses.

preces & querellas audire, comiter respondere, celeriter expedire, conari omnibus quo ad poterat satisfacere, neminem, aditu vel alloquio arcere, vel iuste merentem dimittere: his artibus breui consecutus, vt omnium amorem in se raperet: &, si qui minus eum diligerent, quod vitari in humanis nequit, attamen admirarentur virtutem, nec obloqui auderent; sed sibi de fœlici eius administratione quam optima pollicerentur: spem Deus mox in rem contulit. Artesij & Hannones limitem suum à Francorum incursionibus non satis tutum iure querebantur, & se Cameracensium & Dorlanensium iniurijs nimis expositos ostendebant. Si Comes eo arma verteret, militem, annonam, & pecuniam nonnullam offerebant. Comes per Richiardotem Præsidem & Moriensartum Secretarium ijs respondit, sibi quidem in optatis esse ipsorum gratia hanc expeditionem suscipere: sed sibi tum nec pecuniam quæ necessaria præsto esse, nec militem satis frequentem, partem alibi bello distineri, partem palam seditiosam iussa detrectare, ceteros queri multa stipēdia debita differri. Venationem haud solere fœlicem esse, quæ renitentibus canibus instituatur. Ipsi ergo conarentur quantum fieri posset, se liberales in milite colligendo, & sumptu præbendo præstare; desiderijs ipsorum se non defuturum. Gratissima responsio fuit. Receperunt facturos sese quicquid valerent, & militis, annonæ, pecuniæ certam quantitatem addixerunt. Comes statuit ipse proficisci: Sed nequid absentia eius

freti,

Los de Artoys y de Henaut. *Cābray.* *Dorlens.* *Presidēte Richardot.* *Moriēsart.*

freti, in Brabantia, Flandriave aduersarij molirentur; fortalitia, quæ in Vasia Hulstensium eruptionibus comprimendis extrui mandarat, perfici curauit, & præsidio reliquit cohortes aliquot Valonum & Heluetiorum, Brabantiam defensuros manere iussit Hispanos legionarios Zunigæ & Velazquij, cum equitum quinque vel sex turmis & legione Germanorum quibus Baro Pernestenius præerat: hos omnes Coronello Christophoro Mondragonio Cantabro, qui tum arci Antuerpiensi præfectus, iubet parere, ipsi dat in mandatis, vt cum his copijs in omnem partem intentus, videret ne alicunde prouincia quicquam damni caperet. His curandis sex non amplius hebdomadæ impensæ, ad exactum vsque Maij mensem, ceteræ copiæ, vt iussæ se in fines Hannoniæ contulerunt, peditum millia circiter quinque, equites mille, cum machinis & apparatu reliquo: tam paruo exercitu Franciæ, bellum illatum. Bruxellæ manserunt Dux Feriæ qui cogitabat reditum in Hispaniam, Stephanus & Didacus Ibarræ, vt pecuniarijs rationibus vacarent. Nona Iunij Comes Bruxellà egressus, comitante licet ægro, Duce Pastranæ Magistro leuis equitum armaturæ, & Domino de Rosne Mareschalco exercitus, & alijs qui huic bello interfuerunt. Magnis iteneribus eodem die montes Hãnorum peruenit, postridie Valencenas, ibi coactus quatriduum hærere dum Chimay Principis ad exercitum aduentum operitur. Chimay tria millia peditum Valonicæ gentis, & tres Cata-

Prouincia Vaes Hulst.

Pernestení.

Christoual de Moncdragon.

Duque de Feria. Esteuan y Don Diego de Ibarra.

Duque de Pastrana.

Mons de Henaut.

Valencienes.

Principe de Chimay.

phractorum

nullius oppidi vel arcis munitioris obſidio tentari queat·ita hunc apparatum in nihilum abiturũ, & Arteſios Hannoneſque perſuaſum habituros ſe vanis pollicitationibus deluſos,id ſibi cum alias ſēper,tum hoc tempore potiſsimum ſeriò cauēdum videri, hoc ſe opinari, libenter aliorum ſententias auditurum. Viſum omnibus,rectà ſuaſiſſe. Decretũ vnanimi cõſenſu Hani negotium nunc ſeponendũ, quod oppidi tam cito amittēdi non tam magnum periculum ſubeſſe videretur. Id Gomeronum & alterum eius fratrem,& ſororiũ obſides fidei,id mille & ducentos milites præſidio in vrbe relictos,id tam propinquum Comitis exercitum confirmare. Minimè negligēdam occaſionem has duas limitaneas & bellicoſas prouincias, quæ tam alacriter ſuppetias ibant, in poſterũ firmius deuinciendi: ſi nũc illorũ votis ſatisfieret,nihil poſtea impendij vel oneris recuſaturos. Præſagiebat Comiti quod euenit animus; ſed conſenſu cũctorum vinci ſe paſſus, ſententia mutata Caſtelletum obſidere inſtituit: quod optatum ſocijs,& vtile ad compeſcendũ ſubceſſorem Cameracenſem, cuius tyrannidem exſcindere magis optabat,quam ſperabat: & ne ſic quidem ab Hano longe recedebatur. Bullonius crebris litteris nunciabatur numeroſum ex Picardię præſidijs militem euocare; & aliæ ſe difficultates oſtentabant, quarum nulla Comitem perculit, cui ductor Deus animum addebat. Iunij die xv. meridiana luce ante Caſtelletum peruenit,confeſtim in ipſa planicie vt aduehebantur quatuor murales machinas in vr- *Chaſtelet.*

D bem

bem conuerti,& fine corbibus aut alijs integumentis locatas, difplodi mandauit, & vetuftam turrim quæ ad hoc vifa opportunior peti, paucis horis magna pars difiecta, minor tamen quàm fecura irruptio exigeret. Vifa tamen res non negligenda, ne mora confternationem obfefsis adimeret. Veterani duo ruinam explorarunt, nihil imbre plumbi pluentis perterriti, & cunctis cernentibus turrim, qua ftrata confcenderunt. Stabant proquinqui paratique Valones, vt fubuenirent, cum fortè fortuna, incertum quo auctore vox audita; Fugiunt: ad vocem non fe Valones continere, nec ducum imperium expectare: ad oppidum magna contentione procurrere, intercapedo loci magna, nec minor feftinantium properatio, afcenfus afper & arduus, ipfi anhelantes & fatigati peruenerunt: recentes viribus Franci feffos fortiter excipiunt & depellunt, & Valones iam terga obuertebant. Vt videre Hifpani fociorum cladem, temeritate & inobediētia acceptam; clamore magno fignum irruptionis dari poftulant & impetrant: tantaque ferocia & conftantia ruinam inuadunt, vt datis acceptifque vulneribus in vrbem peruadentes multos occiderint, ceteros in arcem compulerint. Quidam victorum fugitiuis permixti in ponte ipfo ftragem edebant: fed procellis glandium, quas ex pinnis caftri iaculabatur hoftis, coacti in oppidum fe receperunt. Vt arx propius obfideretur, & exitus omnis obfefsis præcluderetur, neceffe fuit in ipfa
foffa

fossa sic vallum ducere, vt non tantum hosti eruptio, sed & Belgis irruptio obstrueretur. Ea tamen valli huius commoditas præcipua fuit, quod thoris siue solijs machinarum erigēdis erat opportunum. Magno cum vitæ discrimine obsidentes tota nocte in hoc opere versabantur, præsidiarijs ad ligonum & dolabrarum strepitum ictus sclopporum librantibus, funalia etiam picata in muro accendentibus, tanta sedulitas & ardor Regiorum fuit, vt sub auroram plerisque in locis vallum iam perfectum conspiceretur. Postridie innotuit Hani iactura, quæ narratio paulo altius repetenda. Parens Gomeroni & ipse non semel egerat cum Regijs de dedenda Catholico Regi Vrbe & arce Hanensi, certis conditionibus tandē inita transactio. Gomeronus cum suis Regi Catholico fidem & obedientiam solemni ritu pollicitus, in antecessum aliquot aureorum millia accepit, & militi Regio in vrbem admisso eam tradidit; data dextera de admittendo in arcem, quando de reliquis, quæ pactus, sibi satisfieret: ea gratia Bruxellam venit vno fratrum & sororio comitatus, nequis fraudelenter eum agere suspicaretur: discedens Hano, alteri fratri suo Doruillerio curam arcis reliquerat, & arcanis mandatis vetuerat, ne vlla causa modove Regios in arcem admitteret, etiamsi per litteras id absens ipse iuberet, vel eo adductus coram verbis imperaret, coactæ non liberæ voluntatis iussa reputaret. Horum nihil Comitem latebat, epistolis in hanc
D 2 sen-

ſententiam interceptis ; & Gomerono implicata, obliqua, incoſtantia reſpondente. Idcirco iuſſus Bruxellam cum ſocijs pro carcere habere. Hani

Cicco di Sanguine. Ciccus Sanguius Vrbico præſidio præerat, quod variarum nationum viginti & duabus centurijs cōſtabat: itaque putabatur vnius ſaltem diei ſpatio hoſtium impetum laturus. Doruillerius cōtra pacta Bullonianos in arcem campeſtri porta recepit, & cohortes Francias in vrbem immiſit: initio reſtitit Ciccus, & in ea velitatione multi Franci vulnerati, cū alijs Humierius Picardię Progubernatore cuius mors ſuis admodum moleſta accidit, interfectus: mox animum Ciccus deſpondit, ipſe captus, milites dimiſsi: merito illis Comes infenſus, nec videre redeūtes voluit, cōtentus hac ignimonia ignauiam notaſſe. Reliquerat in obſidione Caſtelletanæ arcis Auguſtinum Mexiam cum vna Hiſpanorum, & altera Germanorum legione: ipſe cladis

Dō Auguſtin Mexia. ignarus hora ſeptima cum exercitu & tormentis Hanum properabat, nocte tota miles adeo celeriter profectus ſub armis, vt equo vecti omnes viderentur: alas addebat deſiderium cum hoſte manum cōſerendi. Nōdū dies illuxerat, & leucæ dimidio ab Hano aberant, quādo aduerſus ille caſus Cicci nūciatus: quare mœſtus Comes copias reduxit in caſtra ſecūda pomeridiana poſtridie quam eduxerat. Mexia, quę ad vallū ſpectabant ferè ad ſūmū perduxerat; ſed quod ad tormēta locāda deerat, id Motta quarto poſt die perfecit. Igitur vigeſimaquinta Iunij quindecim muralib⁹ machinis ſeptima diei ho-

ra,

ra,ingentis propugnaculi ſaxo firmiſsimo cõſtru-
cti roſtrũ quati cœptum: cuius parte nonnulla de-
iecta, miſit Comes duos veteranos, alterum Valo-
nem, alterum Hiſpanum ſpeculatores: acceptis vul
neribus ambo rediere, & poſſe tẽtari irruptionem,
licèt non ſine diſcrimine nunciarunt. Difficultatem
augebat anguſtia ruinæ, quæ qua locus altior pau-
ciſsimos milites capiebat. Propugnatores multi
ac ſtrennui non ſegniter irruentium vim retunde-
bant. Multum ſanguinis fuſum, duabus horis con-
tinuè dimicatum. Comes cernens ſuos fruſtra cõni
ti, receptui cecinit. Conſultius iudicabat murum ite
rum tormẽtis diſijcere, aditúque maiore patefacto,
rurſus recentem militem nouis animis immittere.
Nec hoſtes cogitatio Comitis fefellit: paulo poſt
cum vidiſſent, è caſtris ſub ſignis inſtructam legio-
nem Hiſpanorum (hæc Alphonſi Mendozij erat) *Don Alonſõ de Mẽdoça*
murum petere; timentes ne ſi ſecundo fortunam
belli experirentur, victis miſericordiæ locus nullus
relinqueretur, ſignum deditionis de pinnis ſuſtule-
runt. Horulæ ſpatio conditiones petitæ datæque:
diſcederent cum armis & ſarcinis, cetera in arce re-
linquerent: poſtera die, ſub ſignis quingenti quin-
quaginta ſex pedites, cataphracti octo & ſexaginta
exiuerunt, ſaucijs pleni currus viginti: occiſos cum
noſtri irruptionem conarentur, centum & viginti
referebant. Victorum ne quadraginta quidem deſi
derati, vulnerati plures, maximè lapidibus. Tam ce
lerem victoriam peperit, non militum paucitas, nõ
armorũ aut annonæ penuria, nõ arcis imbecillitas;

 quam

Cābray. quam Cameracensium & oppido,& Caroli V. Imperatoris viribus Frãciscus I. bellicosus & prudens Franciæ Rex opposuerat; sed Deo duce, & Comitis prudentia, Hispanorumque strenuitate partem licet opinari. Præterea Castelleti tantum tres quatuorvè nobiles aderant, & hi ipsi fermè omnes pugnando occubuerunt. Causam comperio, quia Frãciçe nobilitati indecorũ videtur pedites pugnare. Ideo nec peditibus se miscent, nec facile præsidijs vrbium adsunt; nisi cum imperio, vel si Princeps aliquis obsidionem laturus: tunc certatim aduolãt, maximè si nobilis vrbs aliqua tuenda. Inde gloriam
Dorlens. expetunt, vt Dorlani accidit. Hoc ergo in causa, cur tam munitus locus minus cõstanter defensus fuerit. In arce reperta ænea tormenta varia septem, mosquetti currules sedecim; pulueris nitrosi, globorum, malleolorum, & alterius defendendis vrbibus materiæ non parum. Comes loco potitus, iubet ruinas calce saxoque instaurari, fossas expurgari, repertis tres murales machinas adijci æreas, pulueris, funicum, globorum, & aliorum necessariorum vim magnam; præsidio relictis trecentis peditibus, & equitum turmis tribus, parere iussis Lu-
Luis del Villar. douico Villario Hispano, quem oppido arcique pręposuit. Motis inde copijs rumorem spargit se dumtaxat agros Cameracensium depopulaturum, & facere cœperat; cum redditæ litteræ á Gomeroni captiui matre, nunciant Hani arcem adhuc Regis
Han. Catholici nomine, vt prius haberi; quicquid contigisset, non id vlla voluntatis mutatione, sed priuatis

uatis Cicci Sanguij , & Doruillerij inimicitijs factum. Veniret Comes,& captiuum Gomeronem sociosque adduceret, arcem ipsi patere : simulari ista Comes non ignorabat : qui tamen Antuerpiá captiuos adducerent properè misit; vt adducti,cum copijs & machinis Hanum secundo redit, ibi certiorem per litteras facit ex arce Doruillerius, sibi à Sanguio insidias positas, qui adiunctis sibi octo, decemve militibus, conatus fuerit arcem occupare. Coactum se, tuendi sui causa, vnum ex proprijs affinibus conscium interimere. Idcirco sibi nunc milites minus parere : si toto illo die & nocte Comes conquiesceret, ex re vtriusque id futurum. Se, ne suspicio oriatur, consensus cũ Comite, machinas sulphurias irritis ictibus in nostros nimis alte eiaculaturũ. Verum senem fallere difficile. Vulpina hæc omnia se ipsa prodebant. Respondit Comes se vanis promissis amplius lactari nolle : certo sciret nisi ante diei crastinam matutinam re ipsa arx redderetur, Gomeronum fratrem eius in prę̃sidij conspectu capite perfidiam luiturũ. Hæc asseuerantius nuncio dicebat, vt vel sic ad officiũ Doruillerius rediret; quem intellexerat moras solũmodo nectere, vt interea de tradenda Bullonio arce, quod cogitabat, cõmode perageret: quod fecit; postridie circa horam decimam illius mater Comitem adire conata, quærens se arce pulsam, quã hostes occupassent, simul serio machinis globi in Regios mitti cœperũt, sed sine noxa, quia loci situs eos tuebatur. Lacrymis & clamoribus mulierculę cõtẽtis, Comes
eam

eam nec in conſpectum admiſit, nec promiſſa diſtulit. Gomerono denunciat, vti ſe ad piè moriendum componat: quód cum ille feciſſet, & Catholico ritu peccata ſacerdoti confeſſus fuiſſet, ſub arbore, vbi ex arce conſpici poterat, decollatus: cadauer ibi relictum: frater & ſororius in arcem Antuerpienſem remiſsi. Faſſus in iudicio, quam narraui contra Regem Catholicum, cui ſe ſponte ſubdiderat, & pecuniæ non parum acceperat, perduellionem. Stimulabat fraudis, & perfidiæ indignitas oppidum, arcemque tentare: verum à feſtinãtibus annona caſtris opportuna fuerat derelicta, nec cõmoda ibi pabulatio vel ſecura videbatur. Arteſij, Hannoneſque copias & currus gratuito conceſſos, tempore elapſo repetebant, & Valones quotidie diffluebant, qui præſidio annonarijs mittebãtur. Ideo die altero Peronam exercitus reuertit: tractatũ de vrbe abſidenda: quæ cauſæ ab Hano, eædem á Perona auerterunt. Somæ fluuio adiacet caſtrum Clery ũ; quód facile muniri, & idoneũ vexãdis Peronẽſibus, & prohibẽdo commeatu, ne per flumen Cameracũ deueheretur, vafrè res tentata, felici euẽtu caſtrum acceptum. Veterano cuidam cuſtodia attributa, cuius fides & diligentia, quamdiu arci præfuit, valde probata. Valde Arteſij Comitem vrgebant, vt Dorlanum obſideret, & quantum Hannonijs addito Caſtelleto, tantum ſibi capto Dorlano ſecuritatis adferret. Oppidum cum arce in viſceribus fermè ſuis ſitum, magnam calamitatẽ toti prouinciæ inferre, nihil tutum pacatumve permittere: ſi obtineatur,

Perone. *Clery.* *Cãbray.* *Dorlens.*

neatur, ęquè aduersarijs omnia infesta redditurum. Inde Ambianum & Abbevillam Picardiæ metropoles facilem excursionem fore, latè patente agrorum planicie, nullis amnibus vel torrentibus impedita: hoc etiam faciliorem annonæ & machinarum subuectionem præbiturum: se veró largè omnia in hāc expeditionē subsidia suppeditaturos; militem denique alium ex Flandricis præsidijs, tùm euocari posse; qui, si Dorlanū á tergo relinqueretur, nō sine aperto periculo adduceretur. In exercitu Regio clā aduersarijs nonnulli studebant: per eos Borbonius Rex certior factus celeriter selecti militis cohortes aliquot Dorlanum misit. Vrbis arcisque munitio per se firma erat, & fama in maius ferebatur; eo quod vetus fabula bellis superioribus sparserat Philippum II. cum sexaginta millibus militum expugnationem tentare non ausum. Franci mœnibus & milite, quo vix obsessori cædebant, freti, confidebāt se Regijs ignominiam & stragem, sibi gloriam & & spolia paraturos. Ad vrbis præsidiū præter oppidanos, qui militibus nihil ad prælium deteriores, & stipendiarios ære suo militaturi, nobiles quadringenti aduolarunt; sic cum obsidio cœpta, tria pugnantiū millia, & ducenti quinquaginta grauioris armaturæ equites (cuyrazes vocant) in oppido numerabantur. Primo statim die eruptione facta, paucis vtrimque qua vulneratis, qua interemptis, à nostris ita repulsi, vt fossas murumque exteriorem probè explorandi potestas fuerit, quod prorsus optandum eo die videbatur. Sequenti die sub vesperum

Amiens. *Abbeville.*

rum iussus Motta persidos ac peritos Centuriones loca opportuna ruinę sternendę contemplari; dum ipsemet cum alijs lustrat, & omnia circumspicit, mosquetto sub galea frontem ictus concidit, magno sui desiderio relicto. Vir clarus militari laude, Catholicus, & Regi per annos iam aliquot fidus: tantæ virtuti sola fœlicitas deerat, raro bonis consilijs euentu respondente. Socij diligenter omnibus consideratis cadauer retulerunt, & Comiti affirmarunt, faciliorem, & in præsens vtiliorem arcis, quàm vrbis oppugnationem fore. Re maturè perpensa, consilium placuit, quoniam vrbi arx planè omni ex parte dominabatur: quare vrbe prius potiti, nihil admodum promouerent; arce, qua oppidum respicit, omnes ex vrbe conatus facilè elusura, & nostris oppido toto vbi extra Bombardæ ictũ consisterent loco vix suppetente. Mouit ergo Comes castra vltra Autium fluuiolum, qua parte obsessis auxilia ex Picardia mitti poterant. Erat ibi monasterium semidirutum, illud iussi variarum nationum equites, peditesque insidere, & communi-

Dõ Alõso de Mendoza. re: reliquæ copiæ propius arci admotæ. Alfonsus Mendozius legionis Hispanicæ tribunus, cum aliquot Centurionibus, situm arcis explorauit, & vallo atque operibus præfuit ad arcem vsque expugnatam. Interim ex Flandricis præsidijs sexcenti pedites euocati accesserunt, & mille alij ab

Duque de Bullõ. Artezijs conducti. Bullonius ex aduerso non segniter se gerebat. Pondormij pone Abbevillam ex

PontRemi. Picardia, & vtraque Normannia militem subsidio

dio cogebat : ei se Sancti Pauli Comes & Villartius Franciæ Ammiralius, & præfecti vrbium & Nobilium magna manus, accessere : non vt Dorlanum obsidione liberarent (rem vt videbatur ipsis minimè necessariam) sed vt Comitem inde cum flagitio & dedecore fugarent. Plus superbiæ & animorum, quam virium & prudentiæ adferentes, Ducem Neuersium, cuius summa potestas in exercitu futura, cum alia manu venientem operiri noluerunt. Sunt qui Neuersium & Bullonium dictitent; hos quorum pars maior Catholici, & ex fœderatis fuerant, pręmissos, & lanienæ expositos: certè nec Borbonius, nec Bullonius, nec alij Franci eorum necem, quibus parum fidebant, magni fecerunt. Vicesimatertia Iulij ad fanum sancti Richerij, sexta à Dorlano leuca transfegerunt. Vicesimaquarta die sine tormentis quæ Heluetijs custodienda reliquerant, se in viam dederunt, selecti ex varijs cohortibus pedites octingenti, equites plus minus mille ducenti: qui propius accessere, adeo vt paulo ante meridiem velites nostri, quos audito hostium aduentu Comes præmiserat, hostem adesse renunciarint. Comes idoneo castris pręsidio attributo, vt se hostis in conspectum dedit, obuiam mouit, cum decẽ tormentis bellicis, & mille quingentis peditibus, equitibus autem longe minore quám hostes numero: pedes medium spatium, eques cornua tenebat. Vix castris abierant, quantum mosquetto iaculeris; ecce quadringenti Francorum equites,

Cõde de San Pol.
Mons de Villar.

Duq̃ de Neuers.

 in

in trecentos Comitis equites prorumpunt: hi non ſuſtinentes impetum, ſe ad peditatum recipiunt: ſed alijs accedentibus, rurſus pugnare adorſi. Comes ſuos nutare cernens, trecentos Hiſpanos legionarios ſubſidio mittit: acrius pugnabatur, his reuertentibus in prælium & dedecus abolere nitentibus; Francis contra hoc fortius ſe gerentibus, & iterum in fugam acti, qui prius: quos dum incautè victor Francus inſequitur, peditum cuneum non aduertit, in quem inopinus incidit. Legionarij celeriter nullo ictu inani, in confertos imbrem glandium immittunt, equorum, equitumq; fœdam ſtragem edunt. Eodem ferè momento, maioribus tormentis, non prior tantum iſta acies Francorum, ſed & ſecunda, quæ erat equitum octingentorum, & tertia totidem peditum, vehementer affligebantur. Nam moſquetarij mira dexteritate aſsiduo iteratis diſploſionibus ordines lacerabant. Equites etiã á Comite increpiti, tertio pugnam tẽtarunt, ſed minore quàm par fuit conatu. Si quæ in mandatis acceperant, perfeciſſent; fortaſsis nec cladis nuncium Francorum vllus retuliſſet. Nunc cum ſe omni ex parte ſauciari, & interimi conſpicerent, captiuos fieri nullos, ſine delectu occidi nobiles, plebeioſque animo frangi, & initio lentius equites reſiſtere; an ſi fortè pedites interea ſe in tutum poſſent recipere. Sed Regij nullum momẽtum quieti dare, inſtare, pellere, cædere; tandem Franci effuſè profugere: pedites ad vnum ferè cõciſi, magno numero equites, multos fuga eripuit,

vt enim quiſque ſe fuga victoris oculis ſubduxerat, equos dimittebat, arma abijciebat: illud, vt facilius in ſegetibus, quæ tum fermè maturæ, ſe occultaret: hoc vt expeditior eſſet ad curſum: vtrumque vt præda victor diſtineretur, ſecutus fugientes equitatus ad duas leucas, vſque ad ſeptimam veſpertinam; ne vlterius progrederetur tenebræ impetrarunt, & imperium Comitis qui receptui cani curarat. Deſiderati ex victoribus octo, ſaucij inuenti duodecim: hoſtium necati non minus mille, vulnerati captique plurimi, quorum plerique poſtmodũ interiere. Maius quã pro numero, hoc aduerſo prælio, hoſtes detrimentum acceperunt. Vix vlla ſtataria pugna longo tempore tot magni nominis ductores ceciderunt. Id victis mœrorem auxit, quod qui certam animo pridiè victoriam præſumpſerant, illis poſtridiè nulla fugæ celeritas ſufficere videretur: didicére ſuperbiam à Deo nunquam ſini inultam. Præda fuit opima, vt mittam reliqua, capti militares equi trecenti, ſtratis & fręnis nobilium exornati; vnde patuit multos captos, occiſoſque, quorum nomina ignota manſerunt. Captiui retulerunt cecidiſſe Villartium Admirallium Normãniæ gubernatorem; Senſeuallium caſtrorum magiſtrum; Huquevilios filium, patremque Pontimaris Gubernatorem; cui Vexillum Admirallij de manibus vi extortum; Vezellium & Canonvilliũ pręfectos equitum, & alios penè ſexaginta, partim gubernatores oppidorum, partim Capitaneos, partim nobiles. Pedriellus Villartij Vicarius multis vulneribus ſau-

Mons de Villar.
Senſeval
Huqueville.
Vezelli.
Canonuille.
Pedrielli.

cius, Catholico ritu ſacramentis perceptis, ex imo pectore gemitus trahebat: cumque Sacerdos de ſocietate Ieſu illum conſolaretur, & ſpem aliquam ſanitatis faceret: negauit ſe ille angi animo ob vulnerum dolorem, quæ ſciret eſſe belli prouentum; nec propter mortem ante oculos obuerſantē, quam ſemel oppetendā non ignoraret; ſed propter cauſæ, quam fouiſſet dedecus & culpā: nec debuiſſe alium prçlij exitum ſperari: hæreticos ſtatim fuga ſibi cōſuluiſſe: eos qui Catholico nomine gloriabantur captos, cçſoſve: iuſto id ſe Dei iudicio adſcribere digno inuolutos exitio, qui cum ſe Catholicos profiterentur, conſcientiæ ſtimulis cōculcatis, hçreticorū partiarij fuerint; nō niſi ob polyticas quaſdā & priuatas rationes, gnaros ſe cōtra ius & fas niti: hoc vnū nunc ſibi dolorē adferre, hoc gemitus extorquere: Deo tamē ſe gratias magnas agere, quod Catholico inter Catholicos mori conceſſerit ſibi, qui, quod ſe Regi, quem hæreticū opinaretur, ſubdiderit & militarit, inter hæreticos aſini ſepulturæ inferri mereretur: talia prolocutus animam exhalauit, morte fœlicior quàm ſi viuens hæreticorum ſocius permāſiſſet. Currus accepti ſeptē bombardico puluere pleni, ac rebus alijs ſuſtinendæ obſidioni, quos cum peditatu in Dorlanum inducere cogitarant. Parta victoria, eadē nocte Comes Deo gratias reddidit, & in D. Iacobi Zebedei Hiſpaniæ Apoſtoli, cuius feſto hæc contigerant, honorem, mandauit militibus, vt omnes ad vallū ſub ſignis conſiſterent, & ſigillatim per ordines iugi bombardarum diſploſione lætitiæ

ſigna

ſigna darẽt, ſariſsis etiam manipulos ſtraminis accenſos extollerent: fauebat nox ſerena, mirè pacata, & ventorum expers; micabant clarius ſtellæ, & velut aſtreã choreã ductabant, bis maiora tormẽta moſquetti & bombardæ manuales inſtar continui tonitrus, ardentẽ globorũ nimbũ obſeſſæ vrbi iniecerũt, Regijs ea res alacritatẽ, obſeſsis metum & mœrorem auxit, cauſam lætitiæ illis ſcientibus, his conijciẽtibus. Henricus Borbonius Franciæ Rex ex Burgundia Neuerſium Ducẽ præmiſerat, vt inſulæ Franciæ, Campaniæ, Normanniæ, Picardięque ſatageret; hic altero poſt victoriã die Ambianum peruenit: vbi aduerſi prælij fama comperta fugitiuas equitum reliquias recolligere, ſuis quos adduxerat adiungere: ita factũ vt mille ducentos equites, pedites bis mille quingẽtos numeraret: cũ his & aliquot maioribus tormẽtis, per Richerij fanũ obſeſsis ſuppetias cogitabat, caſtra locaturus quarta à caſtris Comitis leuca: inde ad duas leucas ipſe cũ equitatu proceſsit: his Comes magnopere gauiſus ante diem IV. Kal. Auguſti, tria peditũ millia, prælij cupidiſsimorũ, & totũ qui aderat equitatum, & bellicas machinas ſex, ſecũda poſt meridiẽ hora ipſemet in hoſtẽ duxit: qui cũ ſe in conſpectũ procul dediſſet, ſuis Comes breuiter: Quod optarint, hoſtem adeſſe: fortiter vniquique pugnãdũ: qui fugerit, aut remiſsius egerit, hũc ſibi pro hoſte futurũ: ſtatuerẽt quid pręſtabilius: ab hoſte cũ laude, vel ab Imperatore cum ignominia cædi. Franci vt videre Comitẽ cum ſuis, confeſtim ipſi videri deſierunt, & eadẽ nocte altius

Henrique IIII. Amiens.

fontem

fontem Autij ſuperantes inſcijs aduerſarijs, cētum viginti Cuyrazæ, cum octodecim iumentis clitellarijs puluere nitroſo onuſtis, in oppidum obſeſſum ſe penetrarunt. Non difficile id erat, tum propter obſidentium paucitatem, tum quia flumen per medium oppidum fluens, ne corona cingeretur impediebat: ideo noſtri nequibant aditus in vrbem omnes intercludere, præſertim noctu, quando diuidi, vel extenuari caſtra minimè expediebat. Regis Catholici miles interea vallum ad foſſæ marginem produxerat, & II. Kal. Auguſti ſumma fatigatione & diſcrimine murales machinas contra arcem collocarat. Hoſtes ſumma vi & induſtria repellendis noſtris inſiſtebāt, vltra quadringentos iam Hiſpanos ſauciarant, nonnullos occiderant, Burgundiones & Valones non pauciores interemerant, in his Gabrielem Sotomaiorem Centurionem. Ipſis Kalendis vigintiquatuor tormenta, duobus locis, tonare cœperunt, verberatæ munitiones, & ſingulari induſtria Centurionis Lamberti, qui tormentis pro Motta præerat omnia præſidiarijs infeſta reddita; adeo vt nullus eorum ſe oſtendere auderet: id præcipue, formidine vnius machinæ quæ ex altiore quodā propugnaculo, quod noſtri vi expugnarunt certis ictibus multos, & in his vno ad nouem grauis armaturæ milites, diſcerpſerat. Cortina (ſic vocant) propugnaculi calce & ſaxo ſolidiſsimi, à diluculo ad horam veſpertinā ſextam diuerberata fatiſcebat, & ad ruinam inſpiciēdam miſsi veterani quatuor, duo Hiſpani, & Valones duo, qui ſitum & periculū

Don Gabriel de Sotomayor.

Capitan Lambert.

oculis

oculis præciperent: functi officio diligentissimè, vno amisso, duo saucij, quartus integer redierunt, nuntiaruntque quæ lustrarant, quæ ipsa captiui postea confirmarunt. Hostes à propugnaculo ad interiorem vsque caueam laqueatam, totum concauitatis illius spatium intercidisse, vt cuniculis ducendis incommodarent: in hiatus exitu, ex sportis terra repletis semilunæ forma brachium duxisse, & alia ex parte vallum, in quo statio trecentorum erat, quos locus capiebat militum: vt autem in semilunam ex cauea se recipere, & inde rursus erumpere possent, ad vtrũque scissuræ latus duas tabulas locasse, quæ singulis tantum militibus transitum præbebant: in eo quod reliquum à muri latitudine vsque ad fossã, id à dextra corbibus ingentibus obseptum vsque ad semilunam porrigi. Igitur ad dexteram miles irrũpere non poterat, nisi per tabulas, manifesto periculo in hiatum profundum caueæ laqueatæ decidẽdi: nec securior ad læuam accessus, vbi altera tabula pro ponte: nam ibi, qua latus læuũ aliud propugnaculũ aspiciebãt, altiorem quãdam planitiem manu munierãt insigni & lata mole, cui defendẽdæ maior & melior præsidij pars destinata, ibidem ad initium aditus decrescentis cõferta sub signis stabat: aditus nostrorum vt summum quinquaginta capiebat: hostes in planitie illa mille quin genti numerabantur. His ab exploratoribus acceptis, ipsos quid sentirent Comes rogauit: responderunt tentandam irruptionem, vt arx non capiatur, propugnaculum capi posse. Sic fore vt editiore po-

ftea loco metarentur, & propugnaculo occupato, arcis potiundæ ſpes certior affulgeret. Poſt in conſilio ſententijs variatum. Comes ſe exploratoribus aſſentiri profeſſus: nonnulli temerarium, alij neceſſarium iudicabāt. Supererat diei non multum, & niſi eodem die exequerentur, tota illius diei diuerberatio irrita futura. Statim Comes Alphōſo Mēdozio, qui ad valli extremū, qua aditus aperiendus conſtiterat cum peditatu, imperat irrumpere: paratis omnibus miles ardebat prçliandi cupiditate: celerrimè vallum ſuū legionarij dolabris & legionibus diſiecerunt, & in hoſtē magno impetu ſe intulerunt: hoc aſſultu ſoli Hiſpani fuerunt: momentò trecenti iam pedites editiora occuparūt; quotquot ex hoſtibus nacti, vel cōſciderūt, vel in caueç prçcipitiū egerūt: vbi pars caſu necati, pars cruribus fracti miſerandi potius quàm formidandi iacebant: ſimili ſtrennuitate tabularū illos anguſtos ponticulos euadunt, & Francis perculſis recedentibuſque, quod aperto latere noſtrorū bombardis peterentur, ſemiluna potiuntur. Nondū arce, quia, propter aditus anguſtias, magna manus hoſtium retro corbiū illorū ſeriem latitans Hiſpanos glādibus feriebat. Idcirco viſum commodius, ſi mutata velificatione in læuum latus inſultum transferrent. Eo conuerſis, vtrinque audiri tormentorum boatus, perſtrepere cuncta moſquettis, & bombardis, enſis enſi, pes pedi, haſta haſtæ conferri: ſumma vi per horas duas dimicatum. Oppugnatorum multi vulnerati, multi cæſi; vt neceſſe fuerit bis terve ſupplemento alios ſubmittere,

cum

cũ glandibus & puluere tormentario. Vbi ad duas ſemihora acceſsit; Frácis animi paululum declinarunt. Tum voces auditæ, prima Fugiunt, Fugiunt: ſecunda; Intro, intro : & creuit audacia Catholicorum. Hoſtes locum deſeruere, Regij tanto furore eos inſecuti, vt breui tempore iam cerneretur caſtrum interemptis conſtratum, victoribus plenum. Nec ſpatium victis dedere per portas arcis in oppidum ſe recipiendi : fugientium multitudo ſic portam complerat, vt ſe inuicem conculcarent, & qui gladio hoſtili ſuperſtites erant, ab amicis & ſocijs compreſsione exanimarentur: portis obturatis alij ſe per mœnia præcipitabant. Hiſpani vt portas vacuarent, viuos crudeliter trucidare, & cum cadaueribus ſemimortuos eijcere; deinde furentium leonum inſtar in vrbem irrumpere. Franci qui ſe in vrbem ante receperant, non reſiſtere, ſed latibula quærere. Victores omnia rimari, nullam latebram vel angulum præterire, inuentos omnes occidere. Comes edixerat vt nulli armato in plateis, vel prophanis domibus parceretur; loca ſacra nemo violaret, pudori fœminarum nequis illuderet, tectis ignem ne inijcerent, quiduis horum, capitalem noxam fore. Profuit ad militis alias licentioſi, & tum victoris libidinem reprimendam. Nulli virgini, fœminæve ſtuprum oblatum : tãtum valuit, quæ in omnem partẽ vim habet maximam, ducis diligens ſeueritas ſciebat miles nulli impunè fore quod delinqueret. Hæc perſuaſio cauſa fuit, vt cum exacta obediẽtia vigeret, ſupplicia nulla ſume-

 rentur.

rentur. Patres etiã Societatis Iesu, qui in Catholico exercitu animabus militũ curandis præerant: quotquot poterant obuios in templa cogebant, & eorũ illic sanorum, sauciorumque confessiones excipiebant; & inde milites minis ac precibus, auctoritateque abigebant: sic multis benè moriendi, pluribus vitæ in præsens seruandæ, & in posterum melius instituendæ occasio præbita. Incẽdium à casu natum oppidi magnam partem absumpsit, sacram ædem vel locum pium nullum corripuit. Tria millia Francorum in arce oppidoque cæsa, tot vulnerati, vt in vno Nosocomio monalium, plures quam centum decubuerint: in his Gubernator & nobiles multi, tã grauiter saucij, vt plerique paucos intra dies morerentur. Victorum occisi quadraginta, vix ducenti vulnerati. Te Deum laudamus decantato, iussit Comes vrbẽ arcemque expurgari cadaueribus & ceteris sordibus, quæ tetro odore possent aerem inficere. Id alacriter & properè fossores, lixæ & tamiaci, qui castra sequebantur iumentis & carrucis præbitis, perfecerunt: post militi diuersoria metata, & irrita ratio captiuorũ, & bellici apparatus vtrobique inuẽti. Occisus Comes Dinanius, & primariæ nobilitatis sexdecim in pugna, inter quos sex equitum præfecti cum suis Vicarijs & Vexillarijs, item trigintaquinque peditũ Capitanei cum suis signiferis, ex legionibus Amoralij Egmõdani, Rusoy, Rauy, Prunvillij, Villeroj, Hauacurtij & Picardica: ex tot enim legionib⁹ singula signa militũ & ex singulis equitũ turmis quindecim viros selegerant.

Lamoral de Egmont.

Harau-

Haraucourtius Gubernator cum aliquot alijs in castrum Antuerpiense missus custodiæ causa. Apparatus bellicus copiosus fuit: accepta muralia tormenta octo; campestria (falconetos appellant) sex & viginti; mosquetti ænei valde idonei repellendo assultui centum & octo; pulueris probi, ferri fusi, plumbi, ligonum, sitularum, sulphuris, nitri, salis, farinæ, hordei, tritici, auenæ, salitorum copia permagna: adeo vt ad loci tutelam nihil Comiti visum fuerit adijcere. Qui norunt quam exiguis copijs, pecunijs vix vllis, periculis & impedimentis plurimis maximisq; adeo paucis diebus, præter spem, tam ardua tam feliciter peracta; Dei digitum coguntur agnoscere. Ille Comitis conatus beneuolè iuuit: nec Comes quidquam fidei, prudentiæ, diligentiæ, roboris aut constantiæ prætermisit. Certus iustæ causæ Deum adfuturum. Audacter dico, nec sine Dei auxilio hæc Comitem perficere potuisse; nec Deum tam propitium Comiti futurum, nisi se talem Comes præstitisset, quales in omni memoria paucos, hoc sæculo vix vllos inuenias. Liuoris est, dum rem laudas, ei qui gesserit detrahere; & quorũ virtuti Deus singulariter adfuit, vt eam extenues, totum miraculo scribere. Dauidis, Asæ, & Machabæorum victoriæ, non ideo non eorum sunt, quod eas á Deo Sabaoth promeruerint. Dei istrumenta fuere; sed quia Deus ipsis ad adeo præclara voluit, quám alijs, potius vti, viget vigebitque laus eorum sempiterna. Dorlanum redeo: cadaueribus purgata vrbe, fossæ ruderibus vacuatæ; dirutum

exterius illud propugnaculum, quod nostris victoriæ initium, vnde arci periculum imminebat, & defendi nisi magna manu, & multo sanguine non poterat: ruinæ omnes instauratæ: vt hæc celerius conficerent, Artesij fossores præbuerunt, Valonum, & Germanorum multi præmio inducti vt operam nauarent. Præfectus arci oppidoque Ferdinandus Tellus Portocarrerius, Centurio Legionis Mendoziæ, cuius fortitudo & militaris peritia hac obsidione enituerat, & stratagemate postmodum capto Ambiano illustrior extitit. Arx Hispanis credita, vrbs variarum gentium militibus. Mox in Cameracensem agrum Comes redijt, quod reliquum fuerat depopulaturus. Flagrabat Cameraci obtinendi desiderio, vnde tot tantaque damna Belgio inferri solita: sed militum paucitas, de qua multos necessario detractos in præsidia distribuerat, & alia multa eum morabantur. Contra stimulabant alia complura, & spem fausti successus magnanimitati faciebant partæ victoriæ, fracti hostium animi, præclusæ viæ clandestinis auxilijs: quacumque veniret hostis latere non posse; si Peronensi via, Cleryum teneri, & inde certiorem se reddendum; si Fani Quintini itinere adueniret à Castelletano, & alterius arcis vicinę præsidio detegendum: tertiam semitam aduersarijs non patere. Franciæ Regem absentem in Burgundia bellum contra Ioannem Velasquium Castellæ Comestabilem gerere cum robore militiæ; quæ in Picardia copiæ versabantur

Hernan Tello Puertocarrero.

Perone.
Cleri.
Sanquintin.
Chastelet

Iuan de Velasco.

bantur exigua esse, & cęsis iam sex vel millibus meliorum, vix metuendas. Tormenta, commeatum, & reliquum apparatum, paruo negotio, periculo nullo, haud magna impensa eo aduehi, & ex vrbium limitanearum præsidijs quam vellet, militum manum euocari tutó posse: denique commodam anni tempestatem castris figendis, & equitum pabulationi fauere. Itaque nō obscurè Comes prę se ferebat, quid meditaretur. Hannones & Artesij, vt viderunt votis suis Comitis voluntatem non refragari, magna multaque se ad eam expeditionem emolumenta spondebant allaturos. Conuocato belli consilio multis nimis ardua cogitatio, & temeritati vicina videbatur: donec Comes, graui & concinna oratione, momenta rationum quibus mouebatur, & narrauimus, commemorasset: tunc metus rationi cesśit, & vnus eorum qui aderant; Ego vero (inquit) excellentiæ tuę verbis Artesiorum & Hannonum polliceor, peditum quatuor millia, fossorum quot necesse, panis & cereuisiæ commeatum exercitui quoad obsidio durabit: quod polliceor, intra paucos dies exhibebo. Statuit Comes obsidionem aggredi confestim, nec sinere temporis quicquam diffluere, quamuis nonnulli hortarentur expectaret, donec socij promissa pręstitissent: hęc fiducia diligentiam eorum adauxit; sub signis habebat dumtaxat quatuor peditum millia, & vix mille ducentos equites: sed maturauit vndique milites aduocare; pecunię summa laborabat

inopia,

inopia, nec qui Bruxellæ manſerant, ſatis benigne Comiti ſubminiſtrabant, alijs potius numerantes: huic malo, vt quoad poſſet occurreret, aliũde collegit, vnde ſubſidia quãdoq;, quia ſtipẽdia nequibat, militi egeno exhiberet. Sic enim rebatur poſſe, cum militi annonæ & pecuniolæ quid eſſet, ſeditiones caueri, & diſciplinam ſeruari: conſilio bono felix euentus reſpondit: Nam militaris rapacitas & licẽtia coërcita, duobus abigeis patibulo affixis, & equis domino reſtitutis. Cum propius ad vrbis occiduum latus applicuiſſet, xv. Auguſti die caſtra poſuit duobus in pagis prope Schaldam flumen: & vt auxilijs hoſtium, nequa furtĩm irreperẽt, prę-cluderet aditum, & obſeſsis ſpem ſoluẽdæ obſidionis tolleret, minoribuſque copijs ampliſsimam vrbem facilius cingeret, caſtra foſsis, & paruis munitiunculis coniungit, & has milite & machinis communit: duæ ceteris ampliores arcis ſpeciem præbebant. Vni quæ propior Franciæ, mille ducenti pedites, & quadringenti equites attributi; alteri quæ vicinior vrbi duo peditum millia, equites bis centum impoſiti: ædificandi, muniendi, defendendi Chimaius Princeps curam ſuſceptam, egregiè perfunctus, toto hoc bello multa ſe, maioribuſque ſuis digna geſsit. Dum his attenditur, Neuerſij Ducis filius, cum ſexaginta grauis armaturę equitibus, ad latus propugnaculi, quod diximus, in vrbem ſe penetrauit, nonnullis amiſsis aut vulneratis, & ſupellectile perdita, quam equites licet ſerio aduolantes diripuerũt. Iam Comiti aduenerunt euocati

Principe de Chimay.

Laborlota

Laborlota ex Leucis cum peditibus circiter octin- gentis; aliunde ceteri, & nouo exemplo prius Itali equites, in his seditiosi quingenti, & Capellá ducen- ti alij. Spectaculum insolitum, feroces & iugi ex- cussores, nõdum pacatis animis, nec acceptis stipẽ- dijs, comitis prudentia & fœlicitate allectos, Regi militare, cuius imperium aspernabantur. Lustrato exercitu, censita nouem amplius peditum millia, equites bis mille quingenti, muralia campestriaq; tormenta sexaginta duo, pulueris & materię ceterę vis magna, commeatus abunde. Muniendorum castrorum negotium Augustino Mexiæ demanda- tum: fossores Hannones & Artesij ex pacto submi- serũt: his Comes Germanorum & Valonum pluri- mos, donatiui liberalitate aggregauit. *Coronel Laborlote. Luxẽburgeses. La Chapelle. Don Augustin Mexia.*

FRanciæ bellum meditante, contra Hollandos tuendi Belgij vices, Mondragonio (vt narratũ) à Comite fuerant delegatæ. Vsi commoditate ab- sentiæ Comitis Bataui Grollam obsederant Frisiæ oppidum: quod dum arctè premerent, & tor- mentis magna ex parte iam solo æquassent, præ- sidio fortiter repugnante, ac frequentibus erru- ptionibus eos fatigante: periculum tamen erat ne tandem Grolla caperetur. Significarat id Comiti Mondragonius, & an, Rheno transmisso, cum ho- ste præliaretur, exquisierat. Comes responderat; se- quidem, si illic foret, flumen traiecturum, nec dubi- tare quin Mondragonius id esset facturus, nec res- ponsum expectaturus: ideo se nihil aliud scribere, quam cõfidere fœlicitati, fortitudini, & prudentiæ *Christoual de Mondragon. Holandeses. Grol.*

 illius.

illius sese, & non dubitare hostem, vel cum non expectaturum, vel si expectet, breui se præclaræ victoriæ laureatas inde accepturum. Vaticinium non adhortatio fuit. Mondragonius Rheno trãmisso vt hosti cœpit propinquare, Hermannum Comitẽ Bergensem cum mille selectis peditibus præmittit, vt annonam, & quot posset, milites in Grollam induceret, vel saltem locum castris capiendis idoneũ deligeret, & quo res obsessorum loco essent certius cognosceret. Bergensis seduló mandata executus, hostibus non ausis impedire, subuenit obsessis. Erat tũ Vigilia D. Iacobi Zebedæi: itaque Mondragonij copiæ, vt patroni Hispaniarum memoriam recolerent, tormenta maiora, & bõbardas minores explo-serunt. Inde hostis intelligens Hispanos (quod non crediderat) adesse, animo consternatus, vasa collegit, obsidionem soluit, & abductis machinis sese festinanter ad tutiora recepit. Hermannas Frisiæ Gubernator statim, quæ in vrbe labefactata & diruta, refecit, & annona ceterisque præsidiũ confirmauit. Mondragonius, Comite Fintzenio, qui oppido præfuerat, verbis collaudato, quod fortiter egisset, hosti institit. Nam, ceteris dissuadentibus, senex pugnacissimus cum iuuene Mauricio, præcedẽtibus victorijs præferoce, manũ quauis cõdicione conserere gestiebat; iactare solitus, sibi victoriam certã; eo quod Ecclesiæ, quæ Dei exercituũ sponsa, cõtra mœchos causam tueretur. Hostis castra propè Santenã loco tuto & opportuno posuerat; Mondragonius haud procul á Berquereno, secunda à Batauis leuca. Ibi sub

Conde de Berg.

Conde de Berg.

Conde Mauricio.

Santen.

Bergrbin

ſub auroram cum ſe ad iter treceti pedites Hiſpani & equites quinquaginta pararent, præſidio futuri pabulatoribus, qui ad tres leucas progredi cogebãtur; ſuperuenit veteranus quidam pridiè miſſus exploratum, nuncians ſe, cum Lippam fluuiũ trãſmiſiſſet, veſtigia turmarũ equeſtriũ ad nos tendentiũ deprehendiſſe; viſa ſibi, de facie ſoli quod calcarant, ſexcẽtorum numerũ ſuperare. Idcirco, ne quid ſuis inopinatum accideret, feſtinanter regreſſum, vt admoneret, metuiſſe ne pabulatores & eorum cõmeatus opprimerẽtur. Quibus intellectis Mõdragonius iuſsit, eos omnes paulũ ſubſiſtere; Ioannẽ vero Cordubã, illius qui aderat equitatus Magiſtrum, cum omnibus equitibus & trecentis illis peditibus Hiſpanis, aduerſarijs obuiam proficiſci. Nihil moratus Corduba, digreſſus à Caſtris, pedites illos cũ pabulatoribus, & turmis equitum duabus, ad dexteram iubet tendere; ipſe cum reliquo equitatu (trecenti fuere) ad læuam deflexit, & erecto animo in omnem occaſionem intentus, non diu poſt hoſtem offendit, loco hoſti incommodo, Regijs admodum opportuno; tam arctus erat & impeditus, vt Bataui nequirent ordines expandare: ſeſquimilliari à Mõdragonij caſtris aberant. Bataui, vt ſe deprehenſos aduertunt, non nihil principio trepidare; ſed qui cũctis præerat Philippus Naſſauius, cum duobus fratribus, & cognato, & alijs nobilibus, pugnare nõ ſegniter, & audacia ceteros præire. Cordubæ aderant hippoſclopiſtæ aliquot ex GrobbendoncKij, & lãcearij Didaci Pimentellij abſentium turmis: Comes

Don Iuã de Cordoua.

Cõde Felipe de Naſſau.

Capitan Grobbendonck.

Dõ Diego Pimentel.

Henricus Bergensis, Paulus Æmilius, & Nicolaus Maria cum suis turmis, aliæ quoquæ duæ, Belgarú vna, & altera Hispanorum. Magno impetu in medios hostes illati, hastis fractis, gladios stinxerunt, sic pauci cum pluribus diu ancipiti victoria, modo huc, modo illuc inclinante. Quod cernens Corduba, nonnullos bombardarios equites recollegit, cum quibus, & recenti turma Comitis

Conde de Bossu. Bossuti absentis; quam prudenti consilio in hunc euentum iusserat subsistere, & prælio abstinere; latus hostium tam ardenter inuasit, vt is crederet maiorem eorum esse numerum, & noua auxilia Regijs aduenisse: tum fracti Bataui, dissipatis omnibus, palam tergum obuerterunt. Victor instare, cædere & ad Lippam vsque persequi: cecidere ex victis octoginta, quorum duo turmarum ductores, nobiles permulti: capti, Comes Philippus; qui paulo post ex vulneribus obijt, Comes Ernestus fratrer eius; & cognatus ex Comitibus Solmensibus; tertius Philippi frater graui vulnere accepto, saucius effugit: præter hos capti alij centum quinquaginta equites, equi fermè trecenti: multos Lippæ vortices, cursu & armis fatigatos hauserunt. Batauorum vires hoc prælio valde attritæ, quoniam in hoc equitatu fiduciam habebant. Tam læto nuncio ad Comitem propè Cameracum perlato, vt obsessis lætitiæ indicium de victoria

Mons de Balingni. parta faceret, & vt Balignij actum detegeret; qui suis mentitus, vix duo in castris tormenta esse; mandauit eis, qui vel in propugnaculis essent,

eſſent, vel in caſtris verſarentur omnibus, moſquetis & ſclopis alijs ſub veſperam perſtrepere, & ſexaginta duas maiores machinas, oppido oppoſitas eodem tempore, globis ferreis oneratas, ſic explodi, vt nullus globus præteruolaret, ſed omnes in vrbem illaberentur; haſtatos vero iuſsit ſariſsis funalia accenſa efferre, vt non audiri tantum, ſed & videri ab obſeſsis poſſent, quæ gerebãtur: facta hæc ea cura & ſtudio militum, vt oppidani (quod poſtea faſsi) continuo illo boatu, & procella lętifera perterriti, ſubito falſo (vt ſolet) rumore accedente Hiſpanos vrbe potitos, nonnulli fuerint exanimati, & Balignij vxor, alioqui ferocula & virilis audaciæ mulier, ſic fuerit conſternata, vt non diu poſt, alui defluxu, incertum formidine, an veneno ſponte hauſto, interierit. Perfecto vallo, quatuor tormentis æneis, ponè vrbis patibulum locatis, mœnia vrbis cõcuti cœperunt. Spem Comiti Ludouicus Barlaymontius Archiepiſcopus Cameracenſis, à rebellibus vrbe pulſus, fecerat, & alij confirmabãt, auditis tormentis, confeſtim oppidanos vrbem deditione tradituros: fruſtra quaſſata mœnia: nam nec in oppidanis quidquam apparuit timoris, nec noſtris, non occupatis foſsis vrbis, vltra licuit procedere. Hæc cauſa fuit, cur in caſtris varij rurſus rumores diſſeminarentur, ſingulis prout animati loquentibus. Qui cautiores videri amabant, vel Comiti minus volebant, hæc omnia temeritati adſcribebant: faciebat opinio maior veritate de Cameraci firmitudine, & munitionibus, de arcis propugnaculis

 quatuor,

obſeſsis præcluderetur. Nulla nox, diesve fuit, quin perfidos centuriones huc illuc dimiſſos, itinera omnia, quibus auxilia obſeſsis ferri poterant, accuratè explorarētur: ſic huic malo proſpectum videbatur, & erat profectò; niſi diuturnitas temporis, & excubiarum aſsiduitas quorumdam equitum attentionem ſollicitudinemque laxaſſet: qui ad Cantipratenſem portam ſubſederant, nocte quadam minus aduigilarunt: ſub auroram denſiore nebula impedito adſpectu, Viquus, gubernator Fani Dioniſij, quem ab euentu Crurilıgneum vocabant, cum ducentis grauis armaturæ vrbem ingreſſus. Exploratores noſtri Comitem, Comes centurionem qui inſidijs præerat, de aduentu & inſtituto Viqui cōmonefecerat: ſed nebulæ beneficio, & magna Viqui diligentia, vix vllis amiſsis, intromiſsi tot equites: quæ culpa Hiſpanorum, poſtmodum multorum ſtrennuorum centurionum & militum iactura ſtetit. Viquus enim non præliandi modo, ſed & tormentorum dirigendorum & machinamentorum ſcientiſsimus erat. Id ſtatim apparuit, tot enim damna noſtris intulit, apta machinarū collocatione & libratione vt dubiam ex certa ſpem Regijs faceret. Solitus Comes in negligentiā & flagitia huiuſmodi militaria ſeuerè animaduertere, ne in hos ſubſeſſores id faceret, cū alia, tùm pręcipue illū mouit; ne exempli diſtrictione, ſubſidiū quod hoſti latū, magni facere videretur; & inde militis ſui alacritas & audacia tepeſceret. Auguſtinus Mexia iam vallū vſque ad foſſæ vrbicæ marginē perduxerat; & ſemitas per quas militi

San Denis.

militi commeandum, ea latitudine defoderat, vt bini, alicubi terni, possent incedere; sic autẽ contexerat, vt sine periculo, vltro citroque commearent: congruis etiam locis aggeres erexerat, & desuper locandis tormentis cõplanarat: ostiola quoque, ad erumpẽdum ex vallo in fossam, quaqua versus cõmodum parabat. Ea res difficultatis multum ostendebat, propter fossæ ad id latus magnam altitudinem; sed labor & assiduitas cuncta peruicerunt: laboratũ ad v. vsque Kal. Octobris, illo die quadraginta quatuor tormenta locata, & his mœnia verberata successu nullo, quod essent oculis hostium nimis exposita, & Viquus aggerem quẽdam planum in altum eduxisset, in quo dispositis quisque tormentis nostra petens, duo vel tria capsis & rotis confractis, disiecisset, & tormẽtorum præfectos aliquot occidisset, & iam soli Christophoro Lechugæ, viro strẽnuo, tormentorum cura incumberet. Coactus Comes de alio tormentis locandis situ dispicere, videreque quo pacto agger ille Viqui & machinæ subuerterentur. Id fuit perdifficile, quia probè contectæ latebant: sic aliquot sex dies consumpti. Secunda Octobris valli, & porticellarum opus absolutum, commodiore & tutiore loco dispositis triginta octo tormentis, assidua diuerberatione, admodum firmi & magni propugnaculi, quod à forma Hispani oricellam vocant, pars maior corruit: oricellæ Viqui agger ille impositus, quẽ dixi: cuius ruina factum, vt intimæ munitiones, & propugnaculi latus totum oculis obsidentiam pateret: ibi

Orejon.

clanculum

clanculum Viquus abſconderat maiora tormenta, & multos moſquetarios, bombardarioſque. Noſtri vt videre, libratis in eam partem iaculatoribus, locum defenſoribus nudarunt, & tormẽtorum vſum illis ademerunt: cumque non ceſſarent tormentis oricellam, aggerẽ & vtriuſque latera quatere, adeo omnia labefactata fuerunt, vt paſsim ſaxis, terraq; ruentibus, intra alterius horæ ſpatium, vel equitatui via peruia futura iudicaretur. Parabãt ſe milites, certa capiendæ vrbis fiducia, ad irruptionem: ſed ſecunda poſt meridiem hora, cernentes oppidani, quid periculi, & quam certum exitium capitibus eorum immineret, immemores fidei paulo ante Balignio præſtitę, & nouo Catholicorũ quorumdam hortatu, ſtatuerunt arma in Francos, quorum premebantur tyrannide, conuertere. Erant ibi trecenti plus minus Heluetij præſidiarij, his ſibi vel cõciliatis, vel ijs neſciẽtibus, duos legatos ad Comitẽ mittunt, & cum eo de deditione conditionibus vtrique parti commodis paciſcuntur: deinde faſciam albã abijciunt, rubram aſſumunt; & patefacta Cãtepratenſi porta, claues Comiti in manus tradunt. Ipſe proximis militibus, qui ea nocte illic excubias egerant, mille quingentis; quorum octingẽti Hiſpani, ceteri Valones; iuſsit vt ſub ſignis ſeruatis ordinibus cum Roneo Mareſcallo vrbem ingrederentur; factum id tanto ſilentio, vt Francos adhuc res lateret, & Roneus in acie forum occuparet; ſignificaret etiam Comiti, ſi videretur, poſſe ſe Francos omnes, qui in mœnibus & propugnaculis ignari exitij ſui

Mons de Roſne.

H verſa-

versabantur, leui brachio delere. Vetuit Comes, veritus ne simul oppidanis res esset exitio, & vrbis direptio contra pacta sequeretur. Scloporum potius strepitu & armorum ostentatione Francos cõpelleret, & mala sua nosse, & in arcem confugere: quod adeo festinanter egerunt, vt & sarcinas plerique, & amplius quam trecentos equos in vrbe relinquerent, qui ciuibus prodentibus victori, militi cesserunt. Admiratione sanè dignissimum erat, eos milites qui alias alijs imperatoribus vrbes, quæ illis minore labore & sanguine partæ, minoris lucri illecebra, inuitis ductoribus diripuissent; nunc rerum omnium egenos, compluribus stipendijs debitis, & prætextu Francorum quærendorũ abuti cum possent, nihil tamen petulanter, contumeliosè, vel rapaciter in ciues admisisse. Ab hoc tempore Franci nihil hostile ex arce gesserunt. Comes eadem nocte, arcis aditus commodos explorari, Vallum parari, tormenta disponi iussit. Nihil opus fuit oppugnatione. Francos formido subegerat, confestim miserunt, qui non Balignij, sed Neuersij Principis nomine tractarent. Hi dicebant Fraciæ Regem (quod verum) nunc esse in Diui Quintini fano, & ei adesse Ducem Neuersium obsessi Principis patrem, non posse sine flagitio statim arcem dedi, illis tam propinquis: petere sibi tres dies moræ, & permitti duos de suis ad Regem proficisci, eique narrare, quo in statu res Cameracenses forent. Si interea suppetiæ non adsint; acturos serio de conditionibus deditionis. Comes ad ea, se diu summo desiderio teneri cũ

Sã Quintin.

tam

tam potente & militiæ perito Rege prelij fortunam subeundi, occasionem hac hyeme se nolle perdere, quam tota æstate, tot damnis Picardiæ & Normanniæ illatis nancisci nequiuisset. Lubenter itaque spe prælij cum Rege se illis non tres sed sex dies concedere, & facere potestatem sex, quos vellent, legatos mittendi. Placuit adeo responsio, vt confestim de conditionibus conuenerint, quibus si intra sex dies suppetiæ non mitterentur, arx Comiti traderetur. Conditiones fuere; vt filius Ducis Neuersij, Balignius, Viquus, & ceteri milites militariter arce excederent, Vexillis expansis, tympanis pulsatis, fomitibus scloporum accensis, pulueris & plumbi ferentes, quantum singuli in prælium ferre soliti, & quæ cuique peculiaria: cetera victori relinquerent: propter equos, & sarcinas, quæ Hispani in vrbe diripuerant, damni sarciendi causa Comes duodecim aureorum millia persolueret. Interea rediere legati, & omnem auxilij spem præsciderunt. Quinto die Comes Principem Neuersium inuitauit, & hospitio exceptum lautè, & splēdide habuit, sexta vero, quæ fuit Octobris nona, feria secunda, paulo ante quintam pomeridianam Comes ex vrbe profectus cū suis, substitit ante portam arcis extimam, qua Franci egressuri. Francici agminis hic ordo fuit. Præcedebant currus cum sarcinis: hos sandapila nigra contectus vnus sequebatur, in quo cadauer Baligniæ, nullo funali, cruce nulla, vel alio iustorum ornatu: diceres hæreticæ plebeiæ vel rusticanæ funus: videlicèt hæc mundi

 gratia

gratia & gloria: sic suos ille solitus dimittere, dum viuunt, turgent bullæ tumentes, & splendet vitrea fortuna: mox ibi morte subsidunt, & frangitur quod fragile, nihil contemptius, nihil illaudatius. Fœmina, quę à Franciæ Rege, nullo dantis, nullo petentis iure, paucis ante mēsibus Principis Cambresiæ & Ducis Cameracensis titulos ambitu tanto petitos, tanto dato impetrarat, ecce, ne septem quidem pedum fossam in solo Belgico obtinuit. Cadauer Balignius, primi agminis ductor, comitabatur, capite excepto, cetera armatus: omnes humaniter Comes salutauit, Balignium insuper de vxoris obitu consolatus, quē ille haud magni visus facere; vrbis amissæ mœror magis elucebat: hoc incommodum vt fortiter & militariter ferret, Comes hortabatur. Ille patienter vultu in solum defixo loquentem audiuit, & paucis respondit: Hanc esse belli aleam, sibi nec nouam, nec ignotam. Vltimo agmini præerat Princeps Neuersius, Dux Retelosij; huic se Comes cum suis addidit, nec à se passus impetrari, ne ad flumen vsque comitaretur: ibi Comes vale dixit: sed præmiserat clitellarios cū supellectile sua argentea, & domesticis, vt eo adhuc vespere impensa Comitis Princeps victus splēdide hospitio & epulis exciperetur, cum Balignio, & ceteris, qui eos comitabantur. Deducti ab Hispanorum equitatu fuere, donec sibi visi omne periculum euasisse. Comes, more suo, prius actis Deo gratijs, arcem ingressus: qui cum eo, mirati miram Balignij vel stoliditatem, vel imperitiam rei bellicæ.

Cābresi. *Cābray.* *Duc de Reteloys.*

bellicæ. Nihil in arce tectum, tutumve ab obsidentium machinis, nec militi, vbi secura statio, locus vllus erat; æque expositus vbique tormentorum ictibus, ac si in æqua campi planitie constitisset. Solum armamentarium & tamiaca optime ordinata, singula suis cellulis tam apte disposita, vt nocte obscura, sine lumine alio illato, possent annonæ & machinarum præfecti, quæ opus depromere. Apparatus bellicus ingens Comiti cessit, vt cetera præteream, tormenta bellica ænea maiora triginta & vnum, minora ferrea muralia quinquaginta tria in oppido: in arce maiora curulia ænea duo de triginta, minora in muris locari solita eiusdem materiæ tria & quadraginta, ferri vigintiduo. Pulueris, globorum, ligonum, dolabrarum & similium copia, quanta vrbis & arcis defensioni abũde sufficeret: attamẽ multa Comes adiecit: ratus, quod erat, si bellum Franciæ inferretur, nullum locum posse publico armamentario magis opportunum delegi; tùm quod vrbs magna & firma, Belgiæ & Celticæ Galliæ quasi clauis; tùm quod eius solum fundendis ex ære militaribus machinis præstaret; tùm quod pactis conuentis nunc Regi Catholico in solidum vrbis, quoad sæcularia, imperium cessisset: prius protectio nuda, vt Comiti Alostensi, competebat; & Imperator Carolus V. eo quod ciues pro Rege Franciæ stetissent, iure protectorio arcem illis imposuerat, non qua Imperator, sed qua Comes Alostensis, & ideo Cameraci natus protector. *Alost.*

 Hoc

Hoc imperium Regi Comes tùm nouis pactis asseruit. Deinde nihil diligentiæ prætermisit, vt quam celerrimè, quæ prostrata, erigerentur; quæcumque arci, vrbive imminebant, deijcerentur: in his circiter bis viginti domus nimium arci vicinæ, pretio dominis persoluto, dirutę, & sic area, quæ deerat, ante arcem complanata: fossæ adauctæ, & quędam à Balignio cœpta propugnacula, perfecta fuerunt. Augustinus Mexia vrbi, arcique gubernator datus, quod in ea obsidione ipsius præ reliquis labor & prudétia enituisset. Hispani castro, Valones & alij oppido impositi. Hanc Comitis lætitiá & fœlicitatem duæ inopinatæ molestię conatæ obnubilare: propior aliena ingratitudo, remotior aliena negligentia. Archiepiscopus Cameracensis cetera probus, ambitione præpostera & iracundia præfractiore, cœpit animo cruciari, quod dominio sæculari vrbis & territorij excidisset, clanculum ergo sollicitare nonnullos gratia potentes, vt ij in magistratum vrbis deligerentur, quibus idem animi sensus secum foret, & ipsi pristinam dominationem cuperent restitutam, vt eorum ope, consilioque à Pontifice maximo, & Imperatore ius suum (sic censebat) consequeretur. Talia inopini & ingentis immemor beneficij agitabat; quo in thronum Archiepiscopalem alienis impensis & sanguine esset restitutus á Rege; cuius etiam commendatione, fors impar tantæ dignitati, ad eum gradum prius euectus fuerat; propria veró vel imperitia, vel alia culpa, vt boni & prudentes viri affirmabant,

bant, per Anisium proditorem ante multos annos *Mons de* fuerat deturbatus. Gnarus molminum Comes, *Ainsi.* facile conatus dissipauit, eos prudenti dissimulatione transmittens, memor ea familia natum Archiepiscopum, quæ superioribus tumultibus admodum constans, & fida Regi fuisset: paternis, fraternisque meritis tantum tribuebat, vt, quoad sine Regis & Reip. damno posset, Archiepiscopum placare, & beneuolum reddere niteretur. Molestia altera breuior fuit, quo acrior initio. Per litteras Bruxella datas certior factus, Batauos, salitis artibus, per insidias Herenguerij illius, qui Huyo non ita pridem eiectus, Liram Brabantiæ oppidum, *Liera.* Antuerpiæ & Mechliniæ clauem, occupasse. Præerat vrbi Alphonsus de Luna, cum rariore, quàm ne *Don Alõso de Luna.* cessarium, præsidio; quo omnibus locis excubias agere nequeunte, vulpeculæ irrepserant: ceteros mœror depressit: Comitis magnanimitatem indignatio acuit. Sine mora Principem Auellinum eo *Principe* mittit, iussum cum toto equitatu non intermis- *Auellino* so labore properare: cum reliquo exercitu ipse vestigijs instare statuerat, cum eodem die Auellinus iter aggrederetur, postera luce cum sole lætitia noua affulgens, tenebras quas mœror fronti obduxerat, fugauit: à Veredo epistola allata Liram fœliciter recuperatam indicauit; hostes qui ingressi penè ad internecionem cæsos. Nam Luna, vti aduertit hostem vrbe potitum, celeriter cum Hispanis quadraginta ex Ioannis Ciacconi centuria: qui soli ade *Don Iuã* rant, portam vnam vrbis, quæ firmior ceteris, oc- *Chacon.*

cupat:

cupat: ibi se fortiter tuetur, & Antuerpiensibus, Mechliniensibus, Bruxellensibus significat, quo in discrimine versaretur. Primi Antuerpienses, qui proximi, vbi intellexere, postulant à Gaspare Mondragonio (is pro patruo suo Christophoro, nondum ex Frisia reduce, arci præerat) vt cum præsidiarijs aliquot se ciuibus ducem præbeat: fecit Gaspar, & centum octoginta Hispanos, paucis in arce reliquis, eductos ciuium cohortibus adiungit: mox quia periculum in mora, vigintiquinque de suis concitato cursu, iubet Liram præcurrere, & Lunæ significare, pergat animosè, in proximo suppetias adesse: præcursores duabus horis tres leucas emensi: hoc manipulo auctus Luna, mandat ei, qui præerat, celerrime portam, qua Louanium iter, occupare, dum hostes adhuc vacarent vrbis direptioni: factum non segniter: hostes, portarum cura neglecta, huc illuc dispersi vagabantur. Sciebant Lunæ paucissimos milites adesse: confidebant se mox illius potituros, cum vellent: nec enim tam promptum auxilium illi aduenturũ censebant: hic error Batauis exitio fuit. Manipulus ille Hispanorum per ipsam vrbem recta ad portam contendit, obuios quosq; prædones dispersos obtruncat, magistratum vrbis, quem nonnulli vinctum abducebant, cæsis prædonibus liberat; & portam, qua prædam hostes efferebãt, occupat. Quotquot igitur prædonum rei primum ignari mox vt Hispanos pellerent, eo properabant, in ipsa porta sternebantur, & iam cadauera pro vallo erant.

Gasparde Mondragon.

Paulo

Paulo post Gaspar Mondragonius Liram aduenit, cũ præsidiarijs, & naualibus socijs simul ferè quadringentis, subsequebatur agmen bis mille ciuium, priores illi per portam à Luna intromissi, ipso præeunte, ferocissimè in hostem adhuc vagantem irruentes maximam stragem ediderunt. Vix ausi resistere necati, vel porta ab Hispanis interclusi, per muros se deiecerunt, nõ pauci in fossa, quæ duplex & aquis plena, submersi planè ex nongentis, qui venerant, vix centum euaserunt. Nam Mechliniẽses etiam, qui iam se Antuerpiensibus adiunxerãt, quotquot vltra vrbem nacti, ad orcum mittebant; qui, Purgatorium negantibus, locus debitus. Vehementer clades ista Batauos conturbauit, non credebant Brabantiæ oppidanos, vmquam ea conspiratione animorum, tam procul á mœnibus, Hispanorum signa secuturos, vel quidquam simile ausuros: quasi non, quæ hæreticis ad malum, eadem Catholicis ad bonum animositas adesse posit. Sed illi stolidè arrogantes sibi de suis viribus maxima, de ceterorum Belgarum nec minima soliti polliceri. Comes ciuitatibus Brabanticis, quæ tam præclarum facinus ediderant, per literras officiosè gratias egit; & collaudatas acriter ad similia, quando res postularet, gerenda accendit: deinde nouum hunc limitem Gallicum, quem recuperarat, firmis præsidijs muniuit: & quarto Kal. Nouembris in Brabantiam, vbi Principorum sedes ordinaria, rediturus Cameraco discessit. Obiter Atrebatum, Duacum, Insulas, Tornacum, Enguianum, Hallas

Arras. Duay. Lile. Tornay. Enguien. Halle.

pertransijt. Vbique obuia nobilitas, cum ciuibus & magistratu ei prodijt: claues vbique traditæ; publicè gratiæ actæ; exceptus conuiuijs, dramatibus, & omnigena lętitiæ & gratulationis contestatione; comitatui eius vbique sumptus & lautia de publico præbita: denique honor exhibitus, qui Principibus ipsis aduenientibus solebat. Vna omnium vox audiebatur, salutem se Comiti debere: ipsum Prouinciæ patrem, ipsum non nomine, sed re Gubernatorem, & Capitaneum Generalem esse. Vouere sibi illum diu adesse, optima quæque ipso gubernante sibi polliceri. Aliud Regi visum, nam in itinere iam erat Albertus Archidux Austrię Cardinalis & Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus; vt Comiti succederet. Comes ergo Cardinalem opperiebatur, & vt successori faciliora omnia relinqueret, magno silentio per Georgium Bastam equitatus generalem Commissarium, Feræ, quam Rex Franciæ obsederat, annonam & pulueres submisit, & vt tota illa hieme obsidionem ferre posset, sedulitate mira perfecit. Reliqua quoque, quæ sequentis æstatis bello opportuna, tùm parari poterant, curauit omnia: & Namurcum vsque progressus, Archiduci Prouinciam reliquit, & paucos post dies, nempe xiij. Febrarij se in iter Italiam versus dedit. Solus Gubernatorum Belgij, qui ab anno 1566. cum laude, gloria, & omnium bonorum beneuolentia, ex Belgio discesserit: quod virtuti potius Comitis, quàm temporis breuitati reor adscribendum. Nam quibus

Iorge Basta.

Lafere.

Namur.

quibus artibus ſibi fortunam (vt cum quodam veterum loquar) ſinxerat , ijſdem illam tueri, Deo iuuante potuiſſet. Belgium calamitoſum acceperat , fœlix & bonæ ſpei plenum reliquit.


(.?.)

MATRITI,

Apud Ioannem Flandrum.

Anno M. DC. X.






IHS

